FOLIO QK495 .F20 R67 1773 C.1

DESCRIPTIONUM
ET
ICONUM
RARIORES ET PRO MAXIMA PARTE
NOVAS PLANTAS
ILLUSTRANTIUM
LIBER PRIMUS.

CONSCRIPTUS
A
CHRISTIANO FRIIS ROTTBÖLL,
Med. Doct., Anatomiæ & Botanices in Univerſitate Regia Hafnienſi Profeſſore, & Societatum Litterariarum, Hafnienſis & Nidroſienſis Socio.

Pritzel 7813

Mo. Bot. Garden.

HAFNIÆ, Anno MDCCLXXIII.
SUMPTIBUS SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ.
Conſtat in charta communi 3 Thaleris, & in charta ſcriptoria 4 Thaleris Danicis.

Impreſſerunt *Henr. Chriſtoph. Sander* & *Joh. Frider. Morthorſt.*

SERENISSIMO

PRINCIPI FRIDERICO

PRINCIPI HÆREDITARIO
Daniæ & Norvegiæ, Vandalorum, Gothorumqve,
DUCI Slesvici, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmarſiæ;
COMITI in Oldenburg & Delmenhorſt &c.
ET, QVOD OMNES DIGNITATES ATQVE TITULOS LONGE SUPERAT,

UNICO REGIS FRATRI ET AMICO
PROBATISSIMO

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME

PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME,

Inchoatum hocce opus ſibi, modo fas eſt, duplicis utilitatis pollicetur gloriam, ut & Naturæ admiratoribus rariſſimas, ac pro maxima parte novas, notas faciat Stirpes, & ſimul erudito Orbi luculentiſſimum de Auguſtiſſimorum noſtrorum REGUM in Botanicen munificentia ſplendida meritisqve ſummis teſtaturum exhibeat monumentum. Hinc nemini meliori jure ac TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, qvi litteras impenſe colis, ſcientias fervide amas, eruditos viros clementer ſuſcipis, REGIÆqve DOMUS gloriam cum utriusqve gentis honore maſcule tueris, hæ primitiæ dicari debent. Fove igitur, AMANTISSIME PRINCEPS, Gentis noſtræ Ocelle, tenellam plantam, qvam DIVI PATRIS Conſtans ſevit Prudentia, & AUGUSTISSIMI jam regnantis FRATRIS in Patriæ commoda intentus Amor alere perrexit. Me, ejusdem elegantias & venuſtates ſtylo ſimplici & incompto perorantem, patrocinio TUO POTENTISSIMO ut protegere digneris, modeſtiſſime oro atqve obteſtor, qvi ad cineres usqve ero

REGIÆ CELSITUDINIS TUÆ

addictiſſimus & devotiſſimus Cliens & Cultor
Chriſtianus Friis Rottböll.

PROŒMIUM.

Primum heic plantarum graminearum deſcriptiones atqve icones continentem librum in publicam emitto lucem. Septem diverſa ut explicat Genera, in totidem diſtinxi capita. Acceſſiones novarum Specierum, qvas præterlapſa æſtate ex India miſit experientiſſimus Medicinæ Doctor Königius, curioſis carius & commendatius reddituras eſſe opuſculum, confido, & ſic promiſſis in Programmate ſuperioris anni factis me nonnihil addidiſſe credo.

Tria nova Genera, Fuirenam ſcilicet, Kyllingam & Chondropetalum, invenient Lectores botanici. Primum partes fructificationis adeo peculiares habet, ut conſenſu omnium, niſi valde fallor, novum ſibi vindicet Genus. Alterum vicinis non modo Generibus, Scirpo, Cypero, Schœno, notis pro conſtitutione Generis non cedit; ſed, ſi reliqva veriorum graminum Genera ſub examen revocentur, vix credo, eos, qvi Milium ab Agroſti, Agroſtim ab Aira, Poam a Briza, hanc ab Uniola, Feſtucamqve a Poa & Bromo genere diſtinctas tradunt & recipiunt, ſerio contendere poſſe, Kyllingam noſtram ab affinibus non recte ſeparari. Tertium, licet calycem atqve corollam conſiſtentia & proportione Reſtioni in directum oppoſitum habeat, hujusqve qvaſi inverſum ſit Genus, ob rationes tamen infra in annotationibus ad hoc Genus exponendas parum abfuit, qvin ſub genere Reſtionis reliqviſſem. Etſi mihi ignotum eſt, an Botanici nomen ulli gramini ſit impoſitum, qvum tamen nullam, cur hoc fieri neqviret, rationem viderem, memoriæ duorum dudum defunctorum civium, qvi de patriæ Flora optime meruerunt, Fuireni ſc. & Kyllingi hac ratione conſultum volui.

Ob levem in parte qvadam fructificationis differentiam me Genera multiplicare noluiſſe, lector harum rerum gnarus agnoſcat. Defectum laciniæ in piſtillo, hujus ut & ſtaminum parum auctum vel imminutum numerum, conſentiente reliqva fabrica, ad novum Genus inducendum non ſatis momenti habere credidi. Ad Boerhaviam, Valerianam &c. ſvadente ſtructura, qvum referatur planta, licet numerus ſtaminum claſſi non reſpondeat, cur Cyperis, Scirpis vel Schœnis eadem ſub conditione non accederent aliæ, etiamſi 1 vel 2 modo ſtamina loco 3, vel 2 pro 1 ſtylo habent? Imprimis qvum Schœnus (85 *compar?*) qvi in flore terminali 3 in reliqvis 4 obtinuit ſtamina, qvam parum hujus differentiæ natura fecerit, monſtret. Imo ſi maxime hermaphroditis accedant alii fœminini vel maſculi flores, ſalva ſtructura reliqva, novum hic mea qvidem ſententia, non magis ac in Ægilope, Tripſaco, Panico, Carice, inducere debent Genus.

Schœni præterea genus, ubi parvus hic obvenit receſſus, qvo modo natura per gradus partes fructificationis elidat, pulcre monſtrat; in cunctis ſpeciebus penitus ſteriles atqve inanes ſunt ſqvamæ inferiores; in una alteraqve etiam ſumma, vel huic, ſi mavis, proxima, cujus flos contiguus, hanc ob rationem evadit bivalvis; in plurimis, præter ſuperiora 1 vel 2, germina marceſcunt & abortiunt cuncta; in nonnullis demum deficiunt eadem prorſus in qvibusdam floribus, qvi inde maſculini evadunt, parum cæteroqvin a jam jam denominatis diverſi, qvoniam effœta & ſterilia germina nullis æqvipollent.

Reſtionem *diſtachyum*, cujus ſolos flores fœmineos vidi, ſub Genere, cum qvo habitu convenit, reliqvi, etſi calyce non parum a congeneribus differt. Scirpum *dipſaceum* ob germen vere ſingulare a reliqvis non ſeparavi. Nec ſqvamæ 6 ciliatæ, ſtamina & piſtillum in Schœno *involucrato* cingentes, ut Genus novum conderem, movere potuerunt, qvum ſtructura & habitu exacte reliqvis reſpondeat, lingulæqve hæ cartilagineæ involucrum conſtituant, qvod natura loco ſetarum, qvibus hoc & Scirpi genus qvandoqve armavit, hic poſuit. Uti qvoad numerum partium fructificationis conſenſu authorum non penitus deſtituor, ita meæ reſpectu reliqvorum rationes acutiſſimis ſeculi noſtri Syſtematicis, qvi Genera leves ob rationes dilacerare recte prohibent, haud, ni mihi nimis blandior, diſplicebunt. Sin ſecus, unam alteramqve a poſterioribus plantis qvod attinet, evenerit; levi opera hoc ipſi ſupplere valent; qvum enim omnes fructificationis partes exponant deſcriptiones meæ, nihil ad Genus conſtituendum, præter ſolum nomen deſideratur.

Non eſt, qvod apud Botanicos, vim characterum genericorum intelligentes, illud excuſem, qvod paucas Species ſub aliis, ac Linnæus, Generibus

recenſui;

recenſui; deprehendent enim, aliter ſalvis his characteribus procedere mea in poteſtate non fuiſſe. Si una alteraqve planta inclytiſſimi hujus viri effugerit attentionem, in amplitudine, qvam complectitur, objectorum juſtam ille invenit excuſationem, qvam ego, qvi arctioribus multo limitibus circumſcriptum penſum abſolvo, ſi has reliqvasqve minutias negligerem, mihi polliceri non poſſem. Sunt lapſus, qvi vaſto operi facillime irrepunt, exiguam vero ſi curam habeas, nunqvam deturpent, qvare meritam Authori incurio accerſent reprehenſionem.

Inter plantas multas aut penitus novas, aut iconibus & deſcriptionibus non ſatis illuſtratas etiam qvædam occurrunt, qvæ ſatis cognitæ atqve perſpectæ a nonnullis haberi fortaſſe poſſunt; cujus commatis ſunt Cyperus articulatus, odoratus, fuſcus; Scirpus articulatus, miliaceus, dichotomus &c. Qvum autem raræ ſint ſtirpes hæ omnes, lectoribus, qvi uno facileqve parabili in opere, qvæ alias in pluribus carioris pretii voluminibus qværenda forent, collecta habent, me rem non ingratam feciſſe credidi. Inter ſatis notas autem minime referre poſſum eas Species, qvæ ab Illuſtriſſimo Linnæo in ultima Mantiſſæ particula deſcriptionibus brevibus adumbratæ leguntur; habuit ſcilicet ab eodem, qvo ego, indagatore, deſcripſit fere eodem tempore. Prior ille annotationes ſuas exactas, at, ut omnia ejus eſſe ſolent, ſuccinctas edidit; ſeqvor ego, plenioribus pro inſtituto meo deſcriptionibus, conqviſitis, ubi haberi poterant, ſynonymis; & figuris, ni fallor, idoneis. Illuſtrationes ſic, qvas ille inchoavit, ad majorem, ut puto, evidentiam deduxi, qvare me nec actum hic egiſſe, nec falcem alienæ ſegeti immiſiſſe opinor. Deſcriptiones præterea, qvæ non apud alios authores compilantur, ſed juxta naturam i. e. ipſa objecta fiunt, in diverſis tam Botanicis qvam Anatomicis authoribus tolerari poſſe, & ipſius Linnæi & magnorum aliorum hominum exempla docent. Plantarum bene ſatis depictarum, ſi Cyperum Haſpan & Scirpum ſetaceum excipias, icones, qvantum ſcio, non ſuppeditavi. Harum poſterior a Moriſono exhibita, errore eis, qvi ſpicam ſiccam conſiderarunt, facile excuſabili, a me inter Cyperos in Elencho, qvem Viburgi juxta adverſaria a bibliotheca remotus ſcripſi, numerata, poſtea vero conſultis hujus authoris iconibus ſuo loco reddita eſt; qvoniam vero excuſa jam erat Tabula, figuram tollere non potui. Prioris a Plukenetio non inepte delineatæ ſtatura atqve elegantia, ut cæteris Cyperis ejus figuram adderem, me ſeduxit. Scirpi dichotomi fragmentum modo exhibuit Scheuchzerus; miliacei vero a juniori Buurmanno nuper data figura ſpicis Cyperum refert, adeoqve longe a noſtra recedit planta, ut vehementer, num eadem ſit, dubitem. Delineationes Cyperorum longi, flaveſcentis, ſerotini, Papyri, qvos omnes poſſideo, adjicere potuiſſem, niſi hoc negotium auſtralioris Europæ Botanicis, qvi plantas ipſas vivas accedere poſſunt, tutius relinqvendum duxiſſem.

Maximam plantarum hujus faſciculi partem collegerunt duo viri, itineribus & meritis inclytiſſimi. Prior a nobis in Elencho laudatus experientiſſimus Medicinæ Doctor Gerhardus Königius, Miſſionis Malebaricæ a Potentiſſimo Rege noſtro conſtitutus Medicus, duas fere tertias Stirpium hic occurrentium miſit. Poſt eum beato Profeſſori Forſkåhlio (qvi munificentia glorioſæ memoriæ FRIDERICI QVINTI in ſodalitio cum tribus aliis eruditis viris, qvorum ſolus ſuperſtes rediit Dominus Niebuhr, iter in Arabiam inſtituit) magnam rariſſimorum, imprimis Cyperorum, cohortem, qvæ ex Herbario ejus ad nos pervenit, debemus. Perfectiores procul dubio deſcriptiones, & exactiores de loco natali, modo creſcendi, tempore germinandi, uſuqve medico & domeſtico exhibuiſſemus notitias, ſi eruditiſſimi hujus viri adverſaria conſulere nobis licuiſſet. Collectio Domini Rolandri Surinamenſes obtulit. Hos cæteroſqve, qvorum induſtria & favore aliqvid obtinuimus, fautores ad calcem ſingulæ deſcriptionis cum laude nominamus, gratoqve inſuper & devincto animo omnium, qvi ſymbolum aliqvod huic obtulerunt negotio, agnoſcimus operam. Hos inter eruditiſſimum artis hippiatricæ Profeſſorem Dominum Abildgaard tacite præterire nefas foret, qvi non ſolum ob amorem, qvo in plantas fertur, nitidiſſime juxta artis principia tabulas XVIIII priores delineavit; ſed minutiſſimas fructificationis partes ſæpius extricando, adverſaria noſtra optime confirmavit, interdumqve correxit, aut pleniora reddidit. Has præter decimam, qvam exſculpſit laudati mox Profeſſoris frater, utriqve Haſii ſenioris, Univerſitatis Chalcographi, filii ære excuſerunt. Additæ ſunt duæ Tabulæ Surinamenſes Schœnos exhibentes, a pictore ſatis bono at ſcientiæ ignaro delineatæ, & ab Heckelio, qvi Holmianos excudit fungos, ære exſculptæ. Deſcriptioni cujusvis Speciei explicationem figuræ mox ſubjecimus. Minores litteras partibus fructificationis appoſuimus, indicaturi per m. n. naturalem & per m. a. auctam magnitudinem.

CA-

CAPUT I[mum.]

RESTIO.

Huic Generi, qvod novum eſſe mox vidi, Kyllingæ nomen adſcripſi. Multum ſub examine dedit negotii. Partes qvidem maſculas in ſingula ſpecie ſumma cum facilitate extricavi; fœmineas in nulla invenire potui. Receptaculum jam triqvetrum germen inferum credidi, qvod ſummo etiam Linnæo contigiſſe e deſcriptione brevi Syſt. Natur. Edit. 12. Tom. II. vidi. Jam vero qvum, omni licet diligentia adhibita, nec ſtylos nec ſtigmata evolvere poſſem, hanc opinionem invitus deſerui. Ad examen iterum accedens, Calyce cum Corolla ſoluto, ſtamina abſtuli; qvo facto, in centro Floris germen exiguum cum ſtylis mox 2, mox 3 foliaceis me videre putavi; at, qvum nec ſpecies ipſæ inter ſe, nec ſpecierum individua unqvam exacte convenirent, Germen Stylosqve meos floccoſa fragmenta & reliqvias ſuperſtites haud bene ablatarum partium eſſe intellexi. Dioicas poſt irrita hæc tentamina plantas meas credere pronum erat. Hinc, qvum aliqvod poſt tempus ad nos pervenit Syſtematis Naturæ Linnæi Editio duodecima, in hac claſſe qvæſivi, atqve inter Addenda pag. 735 ſub nomine *Reſtionis* meum Genus expoſitum tandem inveni. Nomen igitur illuſtriſſimi Authoris meo ſubſtitui, examineqve iterum inſtituto, me ſolos mares in omnibus ſpeciebus obtinuiſſe vidi, præter *R. Triticeum*, cujus fœminas poſtea reperi, qvæ, qvum characteri Authoris generico congruerent, plana mihi atqve liqvida fuerunt omnia.

Primam noſtram ſpeciem dudum notam, deſcriptam atqve delineatam fuiſſe, monſtrant allata ſynonyma; nunqvam tamen exacte deſcripta fuit fructificatio, anteqvam paucis retro annis Illuſtriſſimus Linnæus eodem fere tempore, qvo ego deſcriptiones has in chartam conjeci, illam publicæ luci expoſuit. Cæteræ ſpecies omnes novæ ſunt, a nemine, qvantum ſcio, ante meum programma 1772. editum indicatæ vel deſcriptæ, nona ſola forte excepta, qvæ a reliqvis paulum differt, & ſub Elegia Linnæi, ſi a Reſtione diſtingvi meretur, fortaſſe comprehendi debet. Omnes mox ſecuturas hujus Generis

ſpecies in promontorio Capitis bonæ ſpei collegit egregius noſter Botanicus, Dominus Königius, in Hiſtoriæ naturalis incrementum natus.

Character Linnæi genericus parum a noſtro recedit. Calycem ille nullum, præter ſqvamas flores diſtingventes, admittit, ſexqve Petala Corollæ adſcribit. Qvum vero folia 3 exteriora non modo figura ſed etiam fabrica atqve textura a 3 interioribus conſtanter in cunctis ſpeciebus differant, naturam ſecutus ſeparavi, atqve in Perianthium & Corollam diſtinxi.

CHARACTER GENERIS.

SPICÆ ſqvamis coriaceis, carinatis imbricatæ.

FLORES dioici. Flos, unicus, ſeſſilis in axilla ſqvamæ ſingulæ, cui minor, incurvus, triqveter.

FLORES MASCULI.

CALYX Perianthium. Folia 3 inæqvalia; 2 lanceolata, concava, compreſſa, navicularia, 3tio lineari-oblongo, plano.

COROLLA. Petala 3 marceſcentia, oblonga, uno reliqvis latiore.

STAMINA. Filamenta 3 plana. Antheræ cymbiformes, acutæ, corolla æqvales.

RECEPTACULUM triqvetrum, germen inferum mentiens.

FLORES FOEMININI *in diſtincta planta.*

CALYX & COROLLA ut in mare.

PISTILLUM. Germen triqvetrum magnitudine floris. Styli 3, reflexi, hiſpidi.

PERICARPIUM & SEMINA non vidi.

HABITUS GENERIS.

RADICES ſimplices, fibroſæ, ligneæ.

CULMI teretes, ſubarticulati, ſolidi, juncei, tenaces, colorati, punctati, dichotomi.

RAMI *plurimi*, ſubdiviſi, ſteriles. *Pauci* floriferi, ſimpliciuſculi.

VAGINÆ coriaceæ, laxæ, interius floccoſæ ad geniculas & diviſiones Culmi atqve paniculæ, mucrone ſubulato, loco folii, terminatæ.

PANICULA vel SPICA, ut plurimum compoſita, terminalis.

1. RESTIO dichotomus, ſcapis floriferis longiſſimis; panicula filiformi, nutante, laxa; ſpicis oblongis ſqvarroſis. Program. Ao. 1772. pag. 10.

Schœnus Capenſis, culmo tereti, ramoſiſſimo, vaginato, ſpicis ovatis, nudis, dichotomis, pendulis. Linn. Sp. Plant. Tom. I. pag. 64.

Reſtio dichotomus Syſt. Nat. Edit. 12. Tom. II. ADDENDA pag. 735.

Canna Capitis bonæ ſpei ſpicis juliformibus. Scheuchz. Agroſtogr. 352.

Eqviſetum junceum nigrinodum Capit. B. Spei. Breyn. Cent. pag. 176. tab. 91.

Petiverii Gazophylac. tab. 7. fig. 5. Muſ. 424.

Juncus Africanus, lignoſo culmo ad nodos involucris nigris convoluto, panicula arundinacea. Plukenet. Mantiſſ. 109.

RADICES fibroſæ, ſimplices, teretes, flexuoſæ, ligneæ, deſcendentes.

CULMI

CULMI plures, ſteriles, farcti, teretes, tenaces, ſpithamæi, tenues, flaveſcentes, ad angulos acutiſſimos di- & tri-chotomi, baſi ſqvamis cylindricis, glabris, lucidis, veſtiti, ramoſiſſimi.

RAMI fuſco-maculati, altero latere plani, ſummitatem verſus approximati, flexuoſi, reflexi.

VAGINÆ cylindricæ, coriaceæ, breves, fuſcæ, e pagina interiore floccoſæ, loco folii in acumen canaliculatum, ſubulatum, apicem culmi verſus reflexum, productæ.

SCAPI plures ſimpliciſſimi, aggregati, ſeſqvipedales, erecti, juncei, internodiis 4—5 qvateruncialibus diſtincti; ſqvamis ovatis vel ovato-lanceolatis fuſcis ad baſin cincti.

VAGINÆ ſpathaceæ, muticæ, apice interius in floccos laxatæ, ad genicula culmi & ramificationes Paniculæ.

PANICULA terminalis, ſubverticillata, diffuſa; pedunculis planis, filiformibus, nutantibus, apice incraſſatis.

SPICÆ ½ — ad 1 pollicares, oblongæ, ſqvarroſæ, undiqve imbricatæ ſqvamis lanceolatis, acutiſſimis, carinatis, purpureis nigricantibus, nitidis; margine membranaceo, albido.

FLORES MASCULI in axillis ſqvamarum, FOEMININI non viſi.

CALYX. Perianthium. Folia 3 inæqvalia; 2 lineari-lanceolata, acuta, navicularia, compreſſa, carinata; tertio lineari-oblongo, plano.

COROLLA. Petala 3 oblonga, concava, tenuia, marceſcentia, cum margine albo purpurea; uno reliqvis latiore ſtamina includente.

STAMINA. Filamenta 3 plana, breviſſima; Antheræ cymbiformes corollæ æqvales, carinali linea gemina, purpurea, apice confluente, pictæ.

Tab. I. fig. 1. A. Culmi ſteriles. B. Scapi ſqvamis ad baſin obvoluti. C. Vaginæ ſpathaceæ interius floccoſæ. D. Panicula. E. Spicæ juſto paululum breviores depictæ. a. ſqvama florifera cum flore axillari. m. n. b. Flos ſqvamæ exemtus. m. n. cc. Folia calycina 2 navicularia acuta. c* tertium lineari-oblongum planum. dd. Petala 2. d* tertium latius m. a. exhibent. e. Præter Calycem & Corollam antheras m. a. ſiſtunt.

2. RESTIO triflorus, culmis teretibus, erectis; vaginis membranaceis, bifidis; ſpicis cylindricis, tenuibus, ſubternis. Program. noſtr. An. 1772. pag. 10.

RADICES fibroſæ, faſciculatæ, teretes, deſcendentes, ligneæ.

CULMI aggregati, teretes, duri, tenaces, filiformes, fuſco-maculati. *Plurimi* ſteriles, ramoſiſſimi; Ramis interiori latere planis, ad angulos acutos dichotomis, apicem verſus in arbuſculum efformatis, flexuoſis, & veluti criſpis. *Pauciſſimi* cæteris duplo longiores, ſtrictiſſimi, ſuperiori medietate ſimpliciſſimi, floriferi.

VAGINÆ coriaceæ, cylindricæ, ſtriatæ, ad baſin imbricatæ, muticæ; in Culmo breviores, alternæ, remotæ, ala membranacea bifida auctæ, mucrone ſubulato reflexo, loco folii terminatæ.

SPICA terminalis compoſita ſpiculis 2—5 circiter alternis, tenuibus, cylindrico-ſubulatis, brevibus, infima haud raro remotiore; omnes imbricatæ ſqvamis oblongo-lanceolatis, concavis, ferrugineis, ſcarioſis, apice ſpinuloſis, lineas duas circiter longis, unam latis.

FLORES dioici, qvorum unicus, triqveter, intra ſqvamam ſingulam, cui minor, ſeſſilis.

MASCULIS.

PERIANTHIUM. Folia 3 inæqvalia; 2 compreſſa navicularia, acutiſſima, carinata. Tertium planum, obtuſius.

COROLLA. Petala 3 marceſcentia, tenuia, linearia, ferruginea; uno cæteris latiore.

STAMINA. Filamenta 3 membranacea, plana. Antheræ tenues, lineares, extus prominentes.

FOEMINAS *non vidi.*

Tab. II. Fig. 2. A. Culmi, qvorum major pars ſterilis, baſi vaginis cincti. B. Culmi pauci, fertiles, ſimpliciuſculi, vaginis tumidis, apice reflexis, ad genicula cincti. C. Spicæ.

3. RESTIO vimineus, culmo proſtrato, tereti; ramis filiformibus, ſecundis, aſcendentibus; ſpicis terminalibus, pluribus. Program. noſtr. 1772. pag. 10.

CULMUS ramoſus, decumbens.

RAMI *principales* filiformes, longiſſimi, apice faſciculati. *Secundarii* aſcendentes viminei, ſimpliciſſimi, ſecundi, 2 vel 3 pollices remoti.

VAGINÆ ſpathaceæ, alatæ & mucronatæ, ut in ſpecie antecedente.

SPICA terminalis, compoſita, 1—2 uncialis, baſi interdum ramoſa, conſtans ſpiculis ovato-ſubulatis, gibbis, alternis, ad 10 usqve.

SQVAMÆ coriaceæ, margine ſcarioſæ, ſpinula, ut in antecedente, terminatæ.

Polymorpha eſt hæc planta; compoſitione atqve declivitate majore & minori culmi, nec non numero atqve magnitudine ſpicularum multum varians. Fabrica vaginarum & ſqvamarum ſpiculas componentium cum antecedente convenit; at culmo diffuſiore, ſpiculis toroſioribus, gibbis, numero pluribus, ſpinisqve ſqvamarum diſtingventium fortioribus differt.

Tab. II. Fig. 1. A. Ramulum. B. Vaginas geniculorum turgidas. C. Spicam ſiſtit.

4. RESTIO paniculatus, panicula ſeſqvipedali, multiflora; ſpicis oblongo-ovatis; ſqvamis ovatis, carinatis, margine argenteis. Program. noſtr. 1772. pag. 10.

CULMUS altiſſimus, flexuoſus, ſolidus, tenax, ligneus, altero latere convexus, oppoſito planus, viridi-flaveſcens, ſubtiliter punctatus.

RAMI alterni; *infimi* ſolitarii; *ſuperiores* bini, terniqve, filiformes, ſubdiviſi.

VAGINÆ ad ortum ramorum cylindricæ, ferrugineæ; ſqvama lanceolata mutica terminatæ, margine in floccos membranaceos, lineares, albos fiſſæ.

PANICULA ſeſqvipedalis, ramoſiſſima, contracta, oblonga.

SPICÆ parvæ (2—3 lin.) oblongo-ovatæ, imbricatæ ſqvamis ovatis, carinatis, cum acumine obtuſis, coriaceis, ferrugineis; margine membranaceo, argenteo.

FLORES dioici, unico triqvetro intra ſingulam ſqvamam, cui minor, ſeſſili.

MASCU-

MASCULIS.

PERIANTHIUM. Folia 3 inæqvalia; 2 cymbiformia, concava, compreſſa, carinata; 3tio oblongo, plano.

COROLLA. Petala 3 oblongo-lanceolata, obtuſa, tenuia, marceſcentia; uno reliqvis latiore, concavo.

STAMINA. Filamenta 3 brevia, membranacea; Antheræ incumbentes, lineares, cymbiformes, petalis conniventibus incluſæ.

FOEMINÆ non viſæ.

Tab. II. Fig. 3. A. Culmus. B. Rami e vagina exeuntes. C. Panicula. D. Spicæ.

a. ſqvamæ. b. floris facies concava. c. convexa. d. glumarum calycis altera cymbiformis, carinata. e. gluma calycis tertia plana. f. corolla magnitudine multum aucta cum ſtaminibus.

5. RESTIO virgatus, ramis alternis, culmo longioribus, ſubternis; floribus racemoſis, glomeratis. Program. noſtr. 1772. pag. 10.

CULMUS craſſitie pennæ cygneæ, teres, ligneus, tenax, ſubarticulatus, ſtrictiſſimus; internodiis bipollicaribus, pro receptione ramorum, leniter excavatis, diſtinctus; cortice gryſeo, viridi, ſordido, ſubtiliter punctato.

RAMI alterni, culmo longiores, ſemiteretes, filiformes, erecti, ad angulos acutiſſimos, dichotomi, apice ſetacei, ſteriles, ſubterni, intermedio craſſiore.

VAGINÆ coriaceæ, ſtriatæ, nigro-punctatæ, ſordidæ, ramorum exortum obvolventes, foliorum loco ſpinis ſubulatis terminatæ.

RACEMUS terminalis, compoſitus; Rachis flexuoſa, plana, ramoſa; Rami breves, floribus conglomeratis denſe obſiti; Glomerulis ad rachis flexuras alternatim affixis.

SPICÆ conicæ, ſeſſiles & pedicillatæ, bracteis minimis ovatis ſuffultæ, deciduæ, majores qvam in ſpecie antecedente, imbricatæ ſqvamis coriaceis, concavis, ovatis, mucronatis, margine ſcarioſis albidis.

FLORES dioici, parvi, compreſſi, incurvi, triqvetri, ſolitarii, in axillis ſqvamarum ſeſſiles.

MASCULIS.

PERIANTHIUM. Folia 3 inæqvalia; 2 lanceolata, concava, compreſſa, carinata; 3tio plano.

COROLLA. Petala 3 oblonga, marceſcentia, alba, longitudine Perianthii; uno cæteris latiore, ſtamina includente.

STAMINA. Filamenta membranacea, baſi dilatata, corolla æqvalia. Antheræ lineares, cymbiformes, didymæ.

FOEMINAS non vidi.

Tab. I. fig. 2. A. Culmus ad genicula vaginis apice ſubulatis obvolutus. B. Rami. C. Racemus terminalis, cujus plurima pars ſpicarum decidit. a. ſpicæ 2 bracteis minimis ovatis ſuffultæ. b. Sqvama florem continens. c. Flos nudus m. n. d. Petala 2. d* tertium, ut & Filamenta baſi dilatata m. a.

6. RESTIO diſtichus, ſpica ſimplici, terminali, oblonga, diſticha; ſqvamis lanceolatis, acutiſſimis, truncatis, patentibus. Program. noſtr. 1772. pag. 11.

CULMUS decumbens, ligneus, teres, ſtrictiſſimus, junceus, fuſcus, vel fuſco-maculatus, internodiis, apicem verſus longioribus, diſtinctus.

RAMI ſtrictiſſimi, ſimplices, alterni, ad angulos acutos dichotomi, erecti.

VAGINÆ coriaceæ, ſtriatæ, maculatæ, tumidæ, mucronatæ.

SPICA terminalis, ſolitaria (raro præter hanc alia inferior) diſticha, oblonga, uncialis, ferruginea, involucro acutiſſimo, ſpathaceo obvoluta, conſtans ſqvamis alternis, glabris, lanceolatis, convoluto-ſubulatis, baſi truncatis, apice patentibus, multo longioribus ac in congeneribus.

FLORES dioici; lineares, incurvi, triqvetri, in axillis ſqvamarum, qvibus multo minores.

MASCULIS.

PERIANTHIUM triphyllum inæqvale. Folium majus (c) obtuſum, lineare, compreſſum, naviculare; carina antice imprimis hirſutiſſima. Folium medium (b) naviculare acutum, compreſſum, carina; extrema ſubpubeſcens. Folium tertium (d) oblongo-lanceolatum, glabrum, planum.

COROLLA. Petala 3 lineari-oblonga, membranacea, tenuiſſima, marceſcentia, alba, longitudine calycis.

STAMINA. Filamenta 3 tenuiſſima, plana, corolla longiora; Antheræ incumbentes, cymbiformes, acutæ, carina utrinqve purpureæ.

FOEMINAS non vidi.

Tab. *II. fig.* 5. A. *Culmus* baſi decumbens. B. Rami. C. Spicæ. a. flos m. n. b. Folium calycinum mediæ magnitudinis. c. maximum. d. tertium oblongum. e. ſtamina corollæ exemta.

7. RESTIO compreſſus, culmo ramisqve compreſſis; ſpicis terminalibus pluribus, alternis, diſtichis. Program. noſtr. 1772. pag. 11.

CULMUS RAMIQVE craſſi, compreſſi, fuſco-gryſei, minutiſſime punctati, ſordidi, apice in rachim flexuoſam, articulatam, complanatam, tomento rubro villoſiſſimam, producti.

VAGINÆ oblongæ, tumidæ, 4 circiter pollices transverſos ad apicem remotæ, infra ſenſim propiores, mucrone ſubrecurvo terminatæ.

SPICA compoſita, alternatim diſticha; *ſpiculæ* diſtichæ, unciales fere; ſqvamis lanceolatis, acutiſſimis, patentibus rachi affixæ, ad baſin ſqvama transverſa fultæ.

FLORES dioici intra ſqvamas ſingulas, ſolitarii, breviores, triqvetri.

MASCULIS.

PERIANTHIUM. Folia 3 inæqvalia; 2 linearia, navicularia, acuta, compreſſa, carina hiſpida; 3 lineari-lanceolatum planum.

COROLLA. Petala 3 lineari-oblonga, 3 latiore.

STAMINA. Filamenta 3 breviſſima. Antheræ lineares, cymbiformes, incumbentes, carina utrinqve purpureæ.

Priori ſtructura ſimillima.

FOEMINAS non vidi.

Tab. II. fig. 4. A. Culmus. B. Vaginæ. C. Spicæ. a. flos naturali, b. aucta magnitudine.

8. RESTIO Triticeus, culmo tereti, ſubgeniculato, filiformi; ſpica compoſita, flexuoſa; ſpiculis transverſis. Progr. noſtr. pag. 11.

CULMUS tenax, teres, geniculatus, flaveſcens, punctis tenuiſſimis, fuſcis aſperſus, multo flaccidior ac tenerior, qvam in ſpecie antecedente 6.

RAMI longiſſimi, filiformes, ſimplices, ad angulos acutiſſimos dichotomi, nudi.

VAGINÆ ovatæ, ventricoſæ, laxæ, obtuſe mucronatæ, baſi præſertim fuſcæ, $1\frac{1}{2}$ ad $2\frac{1}{2}$ pollicem remotæ, genicula obvolventes.

RACHIS ex apice culmi flexuoſa, geniculata, bipollicaris; internodiis brevibus, apice incraſſatis, altero latere planis.

SPICA compoſita e ſpiculis pluribus (7) alternis, remotis, more tritici repentis transverſim ipſis angulorum rachis cubitibus affixis. *Spiculæ* oblongæ, involucro ovato, mucronato, obvolutæ, ferrugineæ, triplo minores ac in antecedente (6), non diſtichæ, ſed undiqve imbricatæ ſqvamis VI—VIII coriaceis, concavis, oblongo-lanceolatis, baſi truncatis, cum acumine obtuſis.

FLORES dioici, lineares, incurvi, triqvetri, in axillis ſqvamarum, ſeſſiles.

MASCULIS.

PERIANTHIUM. Folia tria inæqvalia; 2 acutiſſima lanceolata concava; 3 oblongo plano.

COROLLA. Petala 3 oblonga membranacea; uno reliqvis latiore.

STAMINA. Filamenta 3 longitudine antherarum; Antheræ lineares, cymbiformes, acutæ, corolla longiores.

FOEMINIS.

PERIANTHIUM ut in mare.

COROLLA ut in mare.

PISTILLUM. Germen triqvetrum magnitudine floris; ſtyli 3 reflexi, hiſpidi.

Structuram reliqvam paulum diverſam habent *foemineæ ſtirpes*. CULMOS ſc. decumbentes. RAMOS alios *ſteriles*, breves, criſpos; alios *floriferos*, alternos, filiformes, flexuoſos. SPICAS conſtantes *ſpiculis*, jam 1 vel 2 approximatis, jam 3, 4, 5 pollices & ultra diſtantibus; ad infimas 1 vel 2 non raro pedunculus uniflorus, longitudine ipſius ſpiculæ.

Tab. III. fig. 1. A. Rami vaginis tumidis ad genicula obvoluti. B. Spica flexuoſa. a. flos ſqvamæ inſidens. b. exemtus, utrinqve magnitudine parum aucta. cc. folia 2 calycina, lanceolata. c* tertium planum. dd. Petala 2. d* tertium latius. e. ſtamina cuncta m. a. f. flos fœmininus. g. Piſtillum juſto majus.

9. RESTIO Thyrſifer, culmo nudo, tereti; Thyrſo oblongo, terminali; ſpathis alternis, maximis in lobos diviſo. Progr. noſtr. 1772. pag. 11.

Conferatur cum charactere & deſcriptione Elegiæ Linn. Mantiſſa Plant. altera pag. 162 & 296.

CULMUS craſſitie pennæ anſerinæ, qvadripedalis, ſimpliciſſimus, ſtrictus, lævis, flexuoſus, teres, viridi-fuſcus, internodiis (6) pluribus, apicem verſus ſpithamæis, interſtinctus.

VAGINÆ ad ſingulos culmi nodos coriaceæ, deciduæ, ſola perſiſtente baſi, qvæ annulo nigro, protuberante culmum cingit.

THYRSUS terminalis, oblongo-ovatus, ſtrictus, ſeſqvi- vel bi-pollicaris, ſpathis ſparſis alternis in lobos diſtinctus.

SPATHÆ oblongo-lanceolatæ, fuſcæ, punctatæ, margine ſcarioſæ, fere unciales.

SPICÆ conglomeratæ, ovatæ, ſqvarroſæ, imbricatæ ſqvamis concavis, lanceolato-ſubulatis, amplexicaulibus, interioribus ſenſim brevioribus.

FLORES dioici, concavi, gibbi, triqvetri, in axillis ſqvamarum ſeſſiles.

MASCULOS non vidi. FOEMINIS.

PERIANTHIUM. Folia 3; 2 lineari-lanceolata, acutiſſima, compreſſa, concava, carinata; 3 lineari planum.

COROLLA. Petala 3 linearia, paulo breviora, cum foliis calycis alternantia.

PISTILLUM. Germen maximum, gibbum. Styli 2 breves, craſſi, reflexi, pubeſcentes.

Tab. III. Fig. 1. A. Culmus vaginarum baſi perſiſtente veſtitus. B. Thyrſus. D. Spathæ. C. Glomeres ſpicarum intra easdem. a. ſpica. bb. folia calycina 2 compreſſa, carinata. b* tertium planum. c. petala.

10. RESTIO diſtachyos, culmo tereti, nudo; ſpicis terminalibus, geminis, ſubtetragonis.

CULMUS tripedalis, teres, tenuis, ſolidus, nudus, tenax, flexuoſus, ſimpliciſſimus, fuſco-maculatus.

VAGINÆ cylindricæ, ſtriatæ, obtuſe mucronatæ, laxe obvolutæ, (6) circiter, infimis approximatis.

SPICÆ 2 terminales, oblongæ, 4 fariam imbricatæ, ſeſqvi-unciæ circiter longitudine.

SQVAMÆ coriaceæ, oblongo-lanceolatæ, acutæ, concavæ, ſtriatæ, magnæ, mucrone fuſco terminatæ, cæterum ferrugineæ.

FLOS dioicus, concavus, alatus intra ſqvamam ſingulam, cui multo minor.

FOEMINIS.

CALYX. Folia 3; 2 lateralia, concava, linearia, anguſtiſſima, ala dorſali, baſi inflexa, latiſſima aucta, apice libero, ſubulato; 3 lineari, carinato, anguſtiſſimo.

COROL-

COROLLA. Petala 3 lineari-lanceolata, carinata.
PISTILLUM. Germen triqvetrum, rugoſum. Styli 2, ad baſin membranacei.

STAMINA vel MARES non vidi.

Ob habitum huc retuli, etſi floris ſtructura aliqvantum recedit a reliqvis.

Tab. III. Fig. 5. A. Culmus vaginis obvolutus.

B. Baſes & C. apices ſpicarum terminalium.

a. b. c. d. e. floris partes m. a. exhibentes.

a. flos exemtus integer. b. idem, diductis foliis calycinis lateralibus.

ccc. folia 3 calycina reflexa.

d. Petala 3 erecta. e. Piſtillum.

CAPUT II.

CHONDROPETALUM.

Genus hoc a priori num ſepararem, diu hæſitavi. Staminum & Piſtillorum ſimilitudinem; habitus in utroqve convenientiam, fructificationis porro notitiam in ambabus novi Generis ſpeciebus defectu laborantem animadvertens, prioribus jungendas putavi. At dum ſqvamarum & floſculorum, nec non Perianthii & Corollæ proportionem atqve ſtructuram hic prioris inverſam, Petalorumqve imprimis rigidam atqve cartilagineam naturam, molli atqve membranaceæ prioris teneritudini in totum oppoſitam, meditabar, notas diſtinctionis ſufficientes adeſſe credidi; vincitqve eo citius poſterior conſideratio, qvo facilius inqvirenti fore credidi, plantas meas hac ſeparatione detegere. Naturam Corollæ cartilagineam rationem nominis dediſſe, nemo non videt. CHARACTER GENERIS ſeqventi modo ſe habet.

SPICA imbricata ſqvamis concavis, coriaceis, rigidis, flores diſtingventibus.
FLORES dioici, *triqvetri, ſolitarii in axillis* ſqvamarum, qvibus longiores, ſeſſiles.

MASCULO.

PERIANTHIUM. Folia 3; qvorum 2 concava, carinata, exteriora; tertium interius, planum, amplexantia.

COROLLA. Petala 3, calyce multo longiora, cartilaginea, rigidiſſima, dehiſcentia; horum 2 navicularia, carinata, compreſſa; 3 erecto plano.

STAMINA. Filamenta 3, membranacea, brevia; Antheræ cymbiformes, acutæ, longitudine ipſius corollæ.

FOEMINÆ.

PISTILLUM. Germen triqvetrum, magnum. Styli 3 patentes. Stigmata plumoſa.

II. CHONDROPETALUM deuſtum, culmo tereti, compreſſo, ſimpliciſſimo; ſpica terminali, compoſita, ſecunda, Spathis interſtincta. Program. noſtr. 1772. pag. 12.

RADIX tenuis, fuſiformis, teres, tomentoſus, ſimplex.

STOLONES cylindrici, horizontales; ſqvamis imbricatis, ovatis, lucidis, fuſcis obtecti, qvorum e nodis radicantibus exſurgunt caules.

CAULIS. Culmi plures, ſubnudi, faſciculati, juncei, erecti, compreſſi, ſtrictiſſimi, ſimpliciſſimi, ſulcati, ſeſqvipedales, viridi-flaveſcentes.

VAGINÆ coriaceæ, ſpina ſubulata armatæ; *inferiores* atro-purpureæ, ſtriatæ, oblongæ, lucidæ; his *proximæ* longiores, cylindricæ, virides, margine membranaceo, fuſco, baſin caulis obvolventes; *unica* tumidiuſcula, culmum, cætera nudum, ſupra medietatem veſtiente.

SPICA

SPICA compoſita, ſecunda, ſtricta, bipollicaris circiter, *ſpathis* ſubternis, concavis, coriaceis, apice ſpinoſis interſtincta. *Spica* ad qvamlibet ſpatham gemina, qvarum una manifeſte pedunculata; altera ad baſin hujus ſubſeſſilis; utraqve *ſpiculis* alternis, approximatis, onuſta. SPICULÆ ovatæ, rigidiſſimæ, imbricatæ ſqvamis ovatis, concavis, rugoſis, obtuſe mucronatis, nigerrimis, & qvaſi deuſtis, unifloris.

FLOS MASCULUS incurvus, gibbus, triqveter, ſqvama duplo longior.

PERIANTHIUM. Folia 3, ⅓ longitudinis corollæ; qvorum 2 *exteriora*, ovata, concava, acuta, carina glabra; 3 *interius* planum amplexantia.

COROLLA. Petala 3 rigidiſſima, cartilaginea, lanceolata, lucida, ferruginea; qvorum 2 navicularia, compreſſa, carinata, acutiſſima, circa Antheras conniventia; 3 lanceolato, plano, erecto.

STAMINA. Filamenta 3 membranacea, brevia. Antheræ cymbiformes, acutiſſimæ, longitudine petalorum.

FOEMINAM non vidi.

Tab. III. Fig. 2. A. Stolones. B. Culmi ad baſin ſqvamis obvoluti. C. Culmi nudi. D. Vaginæ ſuperiores. E. Spicæ ſpathis interſtinctæ. a b c d e e* f. floris partes m. a. a. ſpica. b. ſqvama. c. flos ab uno. d. ab altero latere. ee. Petala 2 carinata. e* tertium lanceolatum planum. f. ſtamina.

12. CHONDROPETALUM nudum, culmo tereti; ſpicis cylindricis, glomeratis nudis. Progr. noſtrum. 1772. pag. 12.

CULMUS tenax, teres, compreſſus, junceus, flexuoſus, ſordidus, griſeus, ſine ſtriis & ſulcis, in plura internodia (4—6), apicem verſus breviora, diſtinctus.

VAGINÆ coriaceæ, tumidæ, deciduæ, nigerrimæ, mucrone rigido terminatæ, genicula cingentes.

PANICULA minima, ovata, nuda, conſtans pedunculis brevibus, alternis, ſtrictiſſimis; *ſpicis* in cylindros glomeratis undiqve tectis.

SPICULÆ ovatæ, parvæ, paucifloræ, imbricatæ ſqvamis ſubrotundis, concavis, coriaceis, nigerrimis, flores ſolitarios ſeſſiles, dioicos, ipſis longiores, interſtingventibus.

MAREM non vidi. FOEMINÆ.

PERIANTHIUM. Folia 3 oblongo-lanceolata; qvorum 2 compreſſa, concava, carinata; 3 ovato, obtuſo, plano.

COROLLA. Petala 3 rigida, apice dehiſcentia, calyce duplo longiora, qvorum 2 lanceolata, concava, compreſſa, carinata; 3 ovato, obtuſo, plano, paulo breviore.

PISTILLUM. Germen compreſſum, triqvetrum, magnum. Styli 3 patentes ſtricti. Stigmata plumoſa.

Utramqve ſpeciem Königio noſtro, qvi e Promontorio Capitis bonæ ſpei miſit, debeo.

Tab. III. Fig. 3. A. Culmus vaginis tumidis, mucronatis, obvolutus. B. Panicula. a. b. c. partes floris m. a. a. flos integer ab uno latere, 3 calycina folia cum 2 petalis carinatis, concavis exhibens. b. idem ab altero latere 3 petala cum foliis calycinis lateralibus monſtrans. c. Piſtillum.

Cap. III.

KYLLINGA.

Seqvuntur jam Genera, habitu maxime inter ſe convenientia. CULMI his enodes, ſtricti, triqvetri, interdum tamen teretes, ſtriati, farcti, ſuperne ut plurimum nudi. VAGINÆ fere ſemper integræ. FOLIA ſtriata, carinata, margine & carina ciliis, non raro ſecantibus, armata, duriora & aſperiora qvam in veris graminibus. FRUCTIFICATIO in ſpicis ſolitariis, capitulis, umbellis, paniculis. INVOLUCRUM poſterioribus ad apicem Culmi e foliis caulinis ſimilibus, radiorum ad inſtar ex uno centro exeuntibus. PEDUNCULI baſi vagina cylindrica, truncata, longiore, breviore, acuminata, mutica, obvoluti. OCHREAM hanc dixi, magnitudinem, terminationem, obvolvendi modum, colorem in plerisqve ſpeciebus expoſui, atqve ubi commode fieri poterat, depingi curavi; particula enim hac, licet minima, notam cæteris, qvibus inter ſe cognatæ diſtingvuntur ſpecies, accedere compertus ſum.

SPICULÆ ſqvamis floriferis, unifloris imbricatæ; velamenta præter has nulla; ſed Stamina atqve Piſtillum nuda. A ſolita tamen hac florum fabrica diſpari ratione recedunt 2 genera, qvorum unum, libri noſtri ultimum, intra diſtingventes ſqvamas veras gerit corollas; alterum autem, hoc capite expoſitum, ſimplicitate ſua ſe a reliqvis diſtingvit omnibus, qvum non ſpicula imbricata ſive amento, at calyce unifloro, æqve ac corolla biglumi, floreat. Nullum hujus familiæ genus, qvum ſe a proximis evidentiore & magis palpabili nota diſtingvat, moleſte laturum credo neminem, qvod e plantis pro maxima parte notis, ſed antea ſub alienis generibus expoſitis, more aliorum Botanicorum novum Genus in honorem meritiſſimi noſtri Kyllingii confecerim.

FLORES in Capitulum vel Spicam imbricati.
CALYX. Gluma bivalvis; valvis lanceolatis, acutis, compreſſis, concavis; altera breviore.
COROLLA. Gluma bivalvis, calyce multo longior; valvula altera, majore, lanceolata, acutiſſima, concava, gibba, marginem alterius, brevioris, anguſtioris amplexante.
STAMINA. Filamenta 3 membranacea, plana. Antheræ lineares, didymæ.
PISTILLUM. Germen obovatum, complanatum, margine altero gibbum. Stylus unicus, apice bi- vel trifidus. Stigmata ſimplicia.
SCHOENOIDES, Character Genericus. Program. noſtr. 1772. pag. 14.

13. KYLLINGA monocephala, culmo filiformi, triqvetro; capitulo globoſo, ſeſſili; involucro ſubtriphyllo, longiſſimo.

Gramen Cyperoides Maderaſpatanum, capitulo grandiori, ſimplici, globoſo, candicante, ad ſummum caulem medio foliorum ſeſſili. Pluk. Amalth. pag. 113.

Gramen Cyperoides, Spica compacta, alba; foliis ad ſpicam partim albis, partim viridibus. Sloan. Hiſt. Jamaic. pag. 119. tab. 78. fig. 1.

Pee Mottenga Rheed. Malebar. Part. XII. pag. 99. tab. 53.

Cyperus fibratus, ſpicis ſubrotundis, magnis, ſingularibus, foliis ſeſſilibus. Morizon. Hiſt. Pl. Part. III. pag. 238. N. 28.

Gramen capitatum. Rumphii Amboin. Part. 6. pag. 8. tab. 3. fig. 2.

Schœnus Coloratus, culmo triqvetro, capitulo ſubrotundo, involucro longiſſimo, plano, variegato. Linn. Sp. Pl. Part. I. pag. 64.

Schœnoides culmo filiformi, triqvetro, capitulo globoſo, ſeſſili; involucro tetraphyllo longiſſimo. Program. noſtr. 1772. pag. 15.

RADIX repens, fibroſa, ferruginea.
CULMI plures, ſimplices, triqvetri, filiformes, flaccidi, ſpithamæi, ad radicem folioſi, ſupra nudi.
FOLIA plura; *Infima* mucronis inſtar minima; *Reliqva* linearia, ſtriata, mollia, margine atqve carina ſcabra, culmo breviora, coloris viridiſſimi; Vaginis albeſcentibus, membranaceis, integris infimum culmum ambientia.
INVOLUCRUM. Folia 3—4 longiſſima, cæteris perfecte ſimilia, unicoloria.
CAPITULUM ſolitarium, ſeſſile, globoſum, parvum, culmum terminans.
FLORES parvi, acuminati, compreſſi, ſtriati, gibbi, rachi undiqve affixi; coloris gryſeo-ferruginei.
CALYX. Gluma bivalvis, decidua; Valvula altera lanceolata, concava, gibba, acutiſſima, carina hirta viridi; altera minor, apice reflexa.
STAMINA. Filamenta 3 plana.
PISTILLUM. Germen planum, obovatum, altero margine gibbum. Stylus unicus, apice bifidus. Stigmata ſimplicia.

14. KYLLINGA brevifolia; culmo ſetaceo, monophyllo, involucro triphyllo brevi, capitulo terminali ſeſſili.

CULMUS erectus, triqveter, ſetaceus, palmaris.
FOLIUM unicum, lineare, acutum, viridi-fuſcum, longitudine ſeſqvipollicis circiter, vagina albeſcente, integra, naſcentem culmum obducens.
INVOLUCRUM. Folia 3 lineari-ſubulata, inæqvalia, unicoloria; maximo longitudine folii caulini.
CAPITULUM terminale, unicum, ſeſſile, ſubgloboſum.
FLORES plani, lanceolati, acuminati, ſtriati, gryſei, cum margine utroqve viridiſſimo.
CALYX antecedentis.

 COROL-

COROLLA. Gluma bivalvis; valvulæ compreſſæ lanceolatæ, concavæ, acutiſſimæ, ſubæqvales, apice ſæpius reflexæ; carina hirta, viridiſſima.

STAMINA & PASTILLUM ut in priori, cujus ſola videtur varietas.

Hanc cum priori a Domino Königio habeo.

15. KYLLINGA triceps, capitulis terminalibus, glomeratis, ſubternis, ſeſſilibus. Program. noſtr. 1772. pag. 15. N. 23.

Juncellus Maderaſpatenſis, capitulis compactioribus, acumine bifido, longiori. Pluken. Phytogr. tab. 197. fig. 7.

Gramen Cyperoides, parvum, tricephalon, e regione Maderaſpatenſi. Pluken. Amalth. pag. 112.

Cyperus rotundus, Indicus, capitulis ſubrotundis, conglomeratis. Morizon. Hiſt. pl. Part. III. §. VIII. pag. 236. num. 7.

Gramen Cyperoides, minus; ſpica compacta, ſubrotunda, viridi, radice odorata. Sloan. Hiſt. Jamaic. §. I. pag. 119. tab. 78. fig. 2.

Mottenga Rheed. Maleb. Part. XII. pag. 97. tab. 52.

Cyperus Maderaſpatanus, minimus, Xanthoides Scheuchz. Agroſtogr. pag. 401. tab. IX. fig. 11. qvi hanc & K Monocephalam pro varietatibus habet.

Scirpus glomeratus, culmo triqvetro folioſo &c. Linn. Sp. Pl. Part. I. pag. 64.

Schœnus tuberoſus, culmo triqvetro; capitulis ternis ſeſſilibus; involucro longiſſimo viridi radice tuberoſa. N. L. Buurm. Fl. Indica pag. 19.

RADIX tuberoſa, ferruginea, fibrarum faſciculum perpendiculariter emittens.

CULMI plures, filiformes, debiles, triqvetri, ſpithamæi.

FOLIA ad radicem plura, linearia, obtuſa, ſeſqvi-pollicaria, flaveſcentia; culmos diſtingventia, cingentia. Caulina 3 lineari-ſetacea, culmo non raro longiora, caneſcentia, vel glauca.

INVOLUCRUM. Folia 3—4 lanceolato-linearia, unicoloria, inæqvalia; maximum longitudine fere ipſius culmi; cætera ſenſim breviora.

FLORES lanceolato-lineares, incurvi, ſtriati, albidi, in capitula (3 rarius 4) ſeſſilia glomerati.

CALYX. Glumen bivalvis, lanceolata, acutiſſima, concava, compreſſa; altera duplo breviore.

COROLLA bivalvis; valvula ſuperior, lanceolata, acuta, concava, apice, reflexa; inferior ⅓ parte brevior, carina nuda.

STAMINA. Filamenta 3, membranacea, plana. Antheræ lineares, didymæ.

PISTILLUM. Germen oblongo-ovatum, complanatum, margine altero gibbum. Stylus bifidus, laciniis capillaribus, reflexis. Stigmata ſimplicia.

SEMEN oblongum ſine ſetis.

Capitulis ternis, carina nuda, minime viridi, colore culmi & foliorum caneſcente a præcedentibus, qvibus alias ſimillima, differt. Noſtra planta multo tenerior eſt, qvam Sloanei & Rheedii. Dominus Königius legit.

16. KYL-

16. KYLLINGA panicea, culmo ſetaceo, triqvetro; ſpicis cylindricis, imbricatis; floribus triqvetris, ſubulatis, erecto-patentibus. Progr. noſtr. 1772. pag. 15.

CULMUS ſetaceus, triqveter, ſpithamæus, enodis, infra folioſus, ſupra nudus.

FOLIA culmo æqvalia, lineari-ſetacea, carinata, mollia, margine reflexa; vaginis integris culmum ambientia.

INVOLUCRUM. Folia 4, caulinis ſimilia, inæqvalia, maximo umbella 4 vel 5 longiore.

SPICÆ (1—2) ſubſeſſiles, & totidem circiter pedicillatæ, cylindricæ; floribus parvis, ſtriatis, acuminatis, triqvetris in qvintupla ſerie imbricatis.

OCHREA triqvetra, trilinearis, truncata, baſin pedunculorum vaginans.

CALYX. Gluma gemina, ovata, minima; altera longiore, acuminata.

COROLLA bivalvis; valvæ lanceolato-ovatæ, acuminatæ, concavæ; altera latiore, marginem alterius amplexante.

STAMINA. Filamenta 3, membranacea.

PISTILLUM. Germen triqvetrum, oblongum. Stylus trifidus, laciniis capillaribus reflexis. Stigmata ſimplicia.

SEMEN unicum, incurvum, acute triqvetrum, ſine ſetis.

In Malebaria invenit Dominus Königius; in Oriente B. Profeſſor Forſkåhl.

17. KYLLINGA umbellata, culmo triqvetro; umbella ſtrictiſſima, ſimplici; ſpicis terminalibus, ſolitariis; floribus confertis, reflexis.

Schœnoides culmo triqvetro, umbella &c. Program. noſtr. 1772. pag. 15. N. 25.

Gramen Cyperoides Indiæ orientalis, ſpicis e communi centro plurimis, Alopecuro accedentibus, ſummo caule paniculatis. Pluk. Amalth. pag. 112.

Cyperus longus, Indicus, ſpicis oblongis, petiolis propriis inſidentibus. Moriz. Hiſt. Pl. Part. III. §. VIII. pag. 238. Num. 26.

Koll-pullu. Hortus Maleb. Part. XII. pag. 119. Tab. 63.

Scirpus Cyperoides; culmo triqvetro, nudo; umbella ſimplici; ſpicis oblongis; floſculis ſubulatis, unifloris, reflexis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 181.

CULMUS triqveter, ſtriatus, tenuis, pedalis & altior, baſi folioſus, ſupra nudus.

FOLIA 5 circiter, lineari-lanceolata, ſtriata, carinata, mollia; margine atqve carina retrorſum ſcabra, culmo longiora, baſi vaginantia, purpuraſcentia, cæterum pallide viridia ſive glauca.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia plura (10) umbella triplo longiora. PARTIALE. Folia terna, linearia, decidua, ſpicis, qvibus breviora, ſubjecta.

RADII vel PEDUNCULI plurimi (5), ſtricti, triqvetri, centrum verſus decreſcentes.

SPICÆ cylindricæ, $\frac{2}{3}$ vel $\frac{3}{4}$ unciales, undiqve imbricatæ floribus unifloris, confertis, patentiſſimis vel reflexis, ſubulatis, ſtriatis, parvis, ſub-triqvetris, viridi-fuſcis; cunctæ præter intermediam unam & alteram, qvæ ſeſſiles, radios umbellæ terminantes.

OCHREA ſemipollicaris, truncata, obliqve mucronata.

CALYX. Valvulæ 2 ovatæ, minimæ, deciduæ; altera paulo longiore.

COROLLA. STAMINA. PISTILLUM. SEMEN ut in antecedente.

Magnitudine omnium partium, ſtructura & duritie habitus, multitudine foliorum involucri, radiorum atqve florum, acceſſione involucri partialis ab antecedente diſtingvitur.

Egregio noſtro Königio hunc cum cæteris debemus.

Cap. IV.

CYPERUS.

Inter pulcerrima gramina referri certe merentur hujus generis ſpecies. Non mirum ergo, qvod curioſorum in ſe incitaverint deſiderium. Deſiderium hoc auxit ſumma raritas & acqvirendi difficultas; hoſpitantur enim in calidis regionibus, & ſi 5 vel 6 ſpecies exceperis, extra Europæ noſtræ limites omnes. In hortis penitus fere deſiderantur, atqve in ditiſſimis anthophilorum collectionibus poſſeſſoribus inviſas relinqvunt lacunas. Notitia, qvam Icones atqve Deſcriptiones Authorum ſuppeditant, vix ejusmodi eſt, ut hiatus hos aliqvo modo explere valeat. Figuris multorum caremus penitus, plurimorum, qvibus gaudemus, pauciſſimæ idoneæ atqve laudabiles; reliqva pars rudi adeo arte, atqve plumbea manu ſunt confectæ, ut carere fere malles. Deſcriptiones breves vel incompletæ, communes pluribus notas potius, qvam alicui ſpeciei proprias, recenſentes, ſine bonarum iconum adjumento inqvirentem fere ſemper incertum reddunt, ut indagatione novorum continua definitiones & deſcriptiones vetuſtorum vacillare taceam.

Laboranti hac in parte Botanicæ medicas is optime admovere poteſt manus, qvi maxima ſpecierum copia inſtructus, latiſſimum hujus indies increſcentis generis campum ſimul perluſtrare, comparatione ſic proximarum maximeqve affinium differentias veras tradere, nec non deſcriptiones & definitiones ſuppeditare valet; & qvum ſine adjumento iconum in multis habitu ſimillimis difficillime idea Plantæ, noſcere eam cupientibus, ingeneretur, & cæteroqvin commoditati curioſorum, atqve decori ſcientiæ conducat, figura idonea cujusvis ſpeciei gaudere, hanc etiam, ubi deficit, exhibere poteſt.

Inter ſtirpes plurimas raras, qvibus noſter abundat Theſaurus botanicus, Cyperorum & affinium multo qvam, qvæ apud Authores enumeratur, major copia animum meum movit, ut in hoc & proximis generibus vires meas primum periclitarer. Rem non omnis eſſe difficultatis expertem deprehendi. Species ſunt vere differentes, adeo tamen omnibus partibus habitu convenientes, ut earum veri characteres difficulter conſtituantur. Magnitudines culmi, foliorum, pedunculorum, ſpicarum, ratione ſoli & ætatis differunt. Eadem compoſitionis majoris vel minoris umbellæ eſt ratio. Numerus partium, ut ſemper multum variat, ita etiam hoc obtinet in ſqvamis, ſpicas conſtituentibus, qvum ex apice ſpicæ, durante incremento, continuo evolvantur novæ ſqvamæ. Color ſpicarum in recentibus dilutior, in ſenioribus ſæpe intenditur, aliasqve ratione ſoli & cæli variat. Infloreſcendi modus, figura ſpicarum, fabrica atqve coordinatio ſqvamarum maximi momenti mihi ſunt viſa. Minime tamen nuper jam enumeratas notas repudiavi penitus; etſi enim hæc vel illa fallit ſeorſim, tamen tota ſyndrome his ſpeculationibus aſſve-

tis raro imponere valet; id qvod ſi maxime alias eveniret, minus tamen hac in re ob adjectas figuras a me metuendum erit, qvum his, qvæ vel deficiunt, vel minus perſpicua in oratione ſunt, optime ſuppleantur, atqve pleniori luci exponantur.

Si ſpecies qvædam, uti C. dubius, C. cruentus vel C. rotundus, tenuiflorus, hexaſtachyos, pumilus, lectoribus non ſatis videantur diſtinctæ, conſiderent qvæſo, notas dari, qvas uno diſcernit obtutu aſſvetus oculus, prolixa oratione & plurimis ambagibus exprimere neqvit lingva vel calamus, unde fit, ut legentes deſcriptionem, plantas eas parum differre, interdum judicent, qvas cominus inſpectas pro diverſis haberent. At, hac non obſtante difficultate, ſi, conſultis ſimul figuris, attente legantur deſcriptiones, notas, qvibus noſtræ ſe diſtingvunt plantæ, non deſiderari puto. Sic Culmi teneritas, foliorum anguſtia, umbellæ diviſio, ſpicarum freqventia & tenuitas Cyperum tenuiflorum; culmi flacciditas, foliorum mollitudo, canities, umbellæ ſimplicitas, colorqve ſpicarum dilutior C. hexaſtachyum; culmi brevitas, ſpicarumqve figura C. pumilum ſatis bene diſtingvunt. Si qvis vero hujus generis differentias ſolo, cælo, vel cultura, induci poſſe contendat, de hac re ex uno alteroqve inſpecto ſpecimine certe conſtare non poſſe mihi concedat: tutius itaqve, anteqvam varietatibus annumerantur conſtitutæ ſpecies, exſpectaveris, usqve dum hoc docuerint facta experimenta, & obſervationes fide dignæ.

Synonymum unum alterumqve, ab authoribus omiſſum, non raro adduxi. Si qvoddam vel cautius omiſerim, vel ſecurius adduxerim, vel ſi fortaſſe ipſorum in enumeratione erraverim, ut altioris ſubſellii viri hos lapſus excuſent, errantemqve in viam reducant, oro atqve obteſtor; His etiam cum mendis uſui eſſe poſſunt deſcriptiones atqve icones, imo ſubtiliore accedente lima, qvæ hujus generis maculas deterit & expungit, tutiorem demum atqve pleniorem afferent utilitatem.

Characterem genericum Linnæi aſſumſi. Hoc unum inſuper moneo, qvod ſqvamæ omnes, duobus infimis qvandoqve exceptis, debent eſſe floriferæ. Sqvamæ ipſæ, ſi attente ad baſin conſiderentur, ſunt alternæ, ſed ubi hoc certis in ſpeciebus præ reliqvis videtur evidentius, pro charactere in deſcriptione adduxi. Seqvuntur jam ipſæ Species.

18. CYPERUS, culmis ſetaceis, triqvetris, ſubnudis; ſpica ſimplici, terminali, ovata; ſqvamis infimis, longius mucronatis.

Cyperus Monoſtachyos, culmo triqvetro, nudo; ſpica ſimplici, ovata, terminali, ſqvamis mucronatis. Linn. Mantiſſa altera pag. 180.

Gramen Cyperoides minimum, ſpica ſimplici, compacta, radice tuberoſa, odorata. Sloan. Hiſtor. Jamaic. 120. Tab. 79. fig. 21.

RADIX tuberoſa, fibras flexuoſas, filiformes, capillatas, ferrugineas emittens.

CULMI plures, ſetacei, pedales, flexuoſi, laxi.

FOLIA plurima, ſetacea, ſpithamæa, glauca, vaginis membranaceis, ferrugineis, laxis, baſes culmorum ambientia, diſtingventia.

SPICA terminalis, nuda, ſemiuncialis circiter, ſolitaria, ovata, compreſſa, diſticha; imbricata ſqvamis (XII—XIV) alternis, ovato-lanceolatis, concavis, glaberrimis, carinatis, ad baſin deciduis mucronatis; mucronibus binorum infimorum longioribus.

Color

Color totius graminis glaucus, ſqvamarum albidus, vireſcens; carina ferruginea.
Poſt Programma editum An. 1772 a Königio miſſum obtinui, qvi, niſi omnia me fallunt, C. Monyſtachyos L. eſt.

Tab. XIII. fig. 3. A. Culmi cum radicibus & foliis. B. Folia. C. Culmi nudi. D. Spicæ terminales.

19. CYPERUS lævigatus, culmo triqvetro, nudo; capitulo diphyllo; floribus lævigatis. Program. noſtr. 1772. pag. 17. Linn. Mantiſſa altera pag. 179.

CULMUS ſeſqvipedalis, nudus, craſſitie pennæ anſerinæ fere, intus poroſus, ſiccitate collapſus; rugoſus, flaccidiſſimus, teſtacei vel ferruginei coloris, cum maculis fuſcis.

INVOLUCRUM. Folia 2, ſtricta, convoluto-ſubulata. *Superius* baſi latum, concavum, ex apice culmi productum, capitulo triplo aut qvatruplo longius; *Inferius* eidem ſubjectum, reflexum, ſuperiori dimidio brevius.

CAPITULUM terminale, ſolitarium, e ſpicis (30) plurimis, ſeſſilibus, albidis, glabris, conglomeratum.

SPICÆ lanceolato-oblongæ, diſtichæ, $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ unciales XVI—XX floræ. *Flores* vel *ſqvamæ* concavæ, obtuſiſſimæ, nitidæ, coriaceæ, albidæ, Dorſo ſtriato, teſtaceo, cum mucrone breviſſimo, carinato.

STAMINA ferruginea extus prominentia.

Ad Caput Bonæ Spei invenit Dominus Königius.

Tab. XVI. fig. 1. A. Culmus. B. Involucrum. C. Capitulum & Spicæ.

20. CYPERUS mucronatus, ſcapo nudo, vaginato, triqvetro; involucro monophyllo, ſtricto; ſpicis ſubternis, ſeſſilibus. Program. noſtr. 1772. pag. 17.

CULMI plures, pedales, ſubnudi, flaveſcentes, triqvetri, ad baſin, vagina 2 vel $2\frac{1}{2}$ unciali, ferruginea, veſtiti, qvæ ſæpius mucrone breviſſimo, rarius folio ſubulato, ſtricto, longitudine dimidia culmi terminatur; apice in acumen ſtrictum, rectum, producti.

SPICÆ ad 1—$1\frac{1}{2}$ pollicis diſtantiam infra apicem, oblongæ, rariſſime ſolitariæ, ſæpius numero admodum vario (2—7) aggregatæ, freqventius ternæ, $\frac{1}{2}$ unciales, denſiſſime imbricatæ ſqvamis coriaceis, nitidis, ovatis, obtuſis, concavis, carinatis, albidis (XX) circiter.

INVOLUCRUM præter apicem culmi nullum.

Simillimus priori, ſpicis præſertim, qvæ diſtingvi neqveunt; differt tamen evidenter teneritudine majore, defectu involucri infimi, ſpicarum longe minore numero.

In Arabia a B. Prof. Forſkåhl collectus.

Tab. VIII. fig. 4. A. Culmi ad baſin vaginis obvoluti. B. Culmi nudi. C. Capitulum cum ſpicis. D. Involucrum.

21. CYPERUS pygmæus, culmis triqvetris, aggregatis; involucro polyphyllo; capitulo terminali, ſubſolitario; floſculis ſubæqvalibus, apice ſpinuloſis.

Gramen Cyperoides parvum Sinicum, capitulo globoſo, ad ſummum caulem inter 4 folia ſeſſile. Pluken. Amalth. Botanic. pag. 112.

Scirpus Michelianus, culmo triqvetro, capitulo globoſo, involucro polyphyllo longo. Linn. Sp. Plantar. Part. I. pag. 76?

Cyperus Italicus omnium minimus. Till. Hort. Piſanus. 51 tab. 20. fig. 5?

CULMI plures, aggregati, triqvetri, breviſſimi, digitales, & breviores.

FOLIA ad baſin culmi plura, lineari-lanceolata, ſtriata, carinata, culmum ſuperantia.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia plura (6), inæqvalia, caulinis ſimilia, patentia, capitulo longiora. *Partiale*, ſqvama oblongo-linearis, ſubulata, concava, ſpicam ſingulam, cui longior, amplexans.

CAPITULUM terminale, ſolitarium; interdum 3—4 aggregata; denſiſſime ſpicis erectis conglomeratum.

SPICÆ plurimæ, ovatæ, concavæ, minimæ, planiſſimæ, diſtichæ, imbricatæ ſqvamis (X—XII) lanceolato-ſubulatis, concavis, ſubæqvalibus, carinatis; apice mucronato, ſubſpinoſo, erecto.

STAMINA. Filamentum unicum, flexuoſum, membranaceum, planum.

PISTILLUM. Germen incurvum, triqvetrum. Stylus unicus. Stigmata 3, capillaria.

Inter ſemina pro horto noſtro a Domino Königio e regione Tranqvebarenſi miſſus. Statura & fabrica capituli, magis ad figuram in Horto Piſano accedit, qvam ſubſeqvens, qvare ſynonyma huc transtuli.

Tab. XIV. fig. 5. cum capitulis maturis. Inter ſemina pro horto a Domino Königio miſſis detectus eſt.

Fig. 4. ante plenariam perfectionem delineatus, in horto provenit a prioris ſeminibus.

A. Culmos folio obtectos. B. Nudos. C. Capitula ſolitaria. D. Conglomerata in utraqve figura indicant.

a & b ſpicæ cum involucro, punctis ad ſuas figuras deductæ.

22. CYPERUS dubius, culmo ſetaceo, triqvetro; capitulo terminali; involucro tetraphyllo, longiſſimo. Program. noſtr. 1772. pag. 17. excluſo nomine triviali & ſynonymo.

CULMI plures, ſetacei, erecti, palmares, triqvetri.

FOLIA linearia, ſtriata, carinata, mollia, longitudine circiter culmi.

INVOLUCRUM. Folia qvatuor, interdum plura, caulinis ſimilia, inæqvalia; 2 vel 3 longiſſimis.

CAPITULUM terminale, ſolitarium, ſubrotundum, ſpicis innumeris glomeratum.

SPICÆ lineari-lanceolatæ, parvæ, compreſſæ, evidentiſſime diſtichæ, imbricatæ ſqvamis VI—VIII circiter, concavis, ovatis, compreſſis, obtuſiſſimis.

STAMINA 3.

PISTILLUM. Germen gibbum, ſubtriqvetrum. Stylus unicus, bifidus.

Königius

Königius e Malabaria miſit hunc, qvi facie adeo ſimilis eſt K. monocephalæ, ut capitulo ſolo mutato, figura unius in locum alterius ſubſtitui poſſit; diverſiſſimum tamen eſſe monſtrat ſtructura ſpicarum longe alia.

Tab. IV. fig. 5. Capitulum cum involucris ſiſtit.
a. ſpica. b. ſqvama cum floſculo. c. piſtillum. d. germen transverſim ſectum.

23. CYPERUS cruentus, culmo triqvetro; involucro polyphyllo, longo; umbella ſimplici; ſpicis conglomeratis; floſculis ſulcato-punctatis. Program. noſtr. 1772 pag. 17.

CULMI aggregati, triqvetri, tenues, ad baſin bulboſi, inferiore parte vaginis foliorum membranaceis, albidis, laxis, veſtiti; ſupra nudi.

FOLIA 6 circiter, linearia, longiſſima, ſtriata, carinata, conduplicata.

INVOLUCRUM. Folia (5) plura, patentia, longiſſima, prioribus ſimilia. INVOLUCRUM PARTIALE nullum.

OCHREÆ laxæ, 2 ad 3 lineas longæ, obliqve truncatæ, punctis cruentis aſperſæ.

CAPITULUM centrale, ſeſſile, cinctum radiis paucis, patentibus, glomere ſpicarum terminatis, centrum verſus decreſcentibus; extimis capitulo ipſo longioribus.

SPICÆ lanceolatæ, acutæ, toroſæ, diſtichæ, 4 circiter lineas longæ, coloris teſtacei; imbricatæ ſqvamis (XII—XIV) alternis, membranaceis, concavis, cum parvo acumine ovatis, ſulcatis, decurſu rachim ala membranacea augentibus. Lineæ punctis oblongis, cruentis, factæ, cum ſingulis ſtriis alternantes.

STAMINA tria membranacea.

PISTILLUM. Germen glabrum, fuſcum, triqvetrum. Stylus unicus. Stigmata 3 hirſuta, flexuoſa, longiſſima, ferruginea.

Juniora ſpecimina, nondum excretis radiis, & evolutis floribus, ſpicas gerunt ovatas, ſqvamis VI modo conſtantes, ſed ſtructura reliqva nullam differentiam monſtrat.

Legit Dominus Forſkåhl in Arabia ad Bolghoſin.

Tab. V. fig. 1. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Glomeres ſpicarum.
a. ſpica. b. ſqvama. c. floſculus.

Fig. 4. Junioris plantæ A. Culmus. B. Folia. C. Capitulum umbellatum.
a. b. c. ut in antecedente.

24. CYPERUS conglomeratus, culmis ſubtriqvetris; foliis faſciculatis, ſtrictiſſimis, canaliculatis, ſeſqvipedalibus; capitulo paniculato, terminali, triphyllo. Program. noſtr. 1772. pag. 16.

RADIX fibroſa.

 CULMI

CULMI in faſciculum, craſſitie minimi digiti, compacti, ſqvamis exaridis extra foliorum vaginas ad baſin obvoluti, ſupra nudi, tenues, ſulcati, ſubtriqvetri, flaveſcentes, torti.

FOLIA faſciculata, ſemiteretia, canaliculato-ſubulata, ſeſqvipedalia, tenacia, lignea, ſubtiliſſime ſtriata, ſine carina, margine punctis rigidis ſcabra, glauca; baſin culmi ad palmæ ſpatium, vaginis nigro-purpureis, glabris, amplexantia.

INVOLUCRUM in ſpecimine, qvod vidi, unico, tetraphyllum, laxum, flexuoſum, inæqvale; Folia 2 ex ipſo culmi apice producta. *Maximo* dodrantali *Secundi* duplo. *Tertium* inter pedunculos exiens ſubulatum, incurvum, unciale. *Qvartum* capitulo ſubjectum, ſeſqviunciale fere, reflexum.

OCHREÆ breves, admodum obliqve truncatæ, obtuſæ.

CAPITULUM ſive UMBELLA terminalis, conglomerata, polyſtachia; umbellulæ centrales ſeſſiles; laterales breviſſimis firmisqve pedicillis inſiſtentes.

SPICÆ ovato-lanceolatæ, diſtichæ, denſiſſime imbricatæ ſqvamis membranaceis, ovatis, concavis, ſtriatis, (XIV—XVI) glabriuſculis, glaucis, vel gryſeis, cum ſublucente purpura; carina in acumen minimum producta.

PISTILLUM. Germen minimum. Stylus trifidus.

In Inſula Gorâb & circa Ghunfudam a B. Prof. Forſkâhl, qvi nomen Cyperi Arundinacei adſcripſit, inventus eſt, foliis ſuis a congeneribus diſtinctiſſimus.

Tab. XV. fig. 7. A. faſciculus foliorum. B. folia. C. Apex culmi. D. Umbella terminalis.

a. ſpica. b. ſqvama a tergo. c. eadem a latere. d. piſtillum.

25. CYPERUS effuſus, culmo tereti, ſubligneo; umbella rara; ſpicis conglomeratis; involucro ſubulato, triphyllo. Program. noſtr. 1772. pag. 16.

CULMI apex teres, pulverulentus, ſolidus, tenuis, ſulcatus, ſubtiliſſime ſtriatus, albidus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE, triphyllum, inæqvale; Folium *maximum*, umbella longius, continuatio ipſius culmi in acumen anceps, rigidum, aduncum, canaliculato-ſubulatum; *Duobus* reliqvis, ſubulatis, lateralibus, umbella brevioribus. INVOLUCRUM PARTIALE foliolum ovatum, baſin radiorum obvolvens.

CAPITULUM ſolitarium, ſeſſile, ſpicis divaricatis glomeratum; interdum præter hoc 2—3 lateralia, radiis rigidis, brevibus, inſiſtentia.

SPICÆ fere ut in antecedente; ſed longiores, oblongo-lanceolatæ, diſtichæ, $\frac{4}{5}$ unciales UNICOLARUM inſtar, denſiſſime imbricatæ, ſqvamis XXX—XXXII membraneceis, ſubpubeſcentibus, concavis, ovatis, ſtriatis, cum parvo acumine carinatis; coloris gryſei, cum ſublucente purpura.

Antecedenti maxime affinis.

Ad Mockam in Arabia a B. Prof. Forſkâhl inventus.

Tab. XII. fig. 3. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Spica.

26. CYPERUS ariſtatus, capitulis oblongis, ſeſſilibus, & pedunculatis; ſpiculis linearibus, minimis; floſculis ſubulatis, reflexis. Program. noſtr. 1772. pag. 22.

Scirpus (capitatus) culmo tereti, folioſo; capitulis axillaribus, pedunculatis; involucro diphyllo, lineari. N. Buurmanni Flora Indica pag. 21.

Gramen hirſutum, Indicum; glomeratis capitulis Logopi, cæruleis; gluma e ſqvamulis plurimis purpuraſcentibus; ariſta unica donatis, compactili. Plukenet. Phyt. 178. tab. 190. fig. 7. mala.

Scirpus intricatus, culmo triqvetro, nudo, umbella folioſa, ſimplici; floſculorum ſqvamis ſubulatis, recurvatis. Linn. Mantiſſ. alt. pag. 182.

RADICES faſciculatæ, capillares, ferrugineæ.

CULMI plures, faſciculati, ſtricti, triqvetri, digitales, infra vaginis foliorum coccineis veſtiti, ſupra nudi.

FOLIA graminea, linearia, carinata, mollia, teſtacea, culmum fere æqvantia.

INVOLUCRUM. Folia 3—4 inæqvalia; maximis umbella fere duplo longioribus.

OCHREÆ ferrugineæ, 2 circiter lineas longæ, truncatæ.

CAPITULA florum oblonga, parva, 1—2 ſeſſilia, & 2—3, pedunculis (uncialibus circiter) ſtrictis, inſiſtentia, e ſpicis plurimis conglomerata.

SPICÆ diſtichæ, lineares, tenues, ſqvarroſæ, minimæ, (1 lin.) imbricatæ floſculis (VIII—X) lanceolatis, canaliculatis, acutiſſimis, ſtriatis, margine ſubciliatis; apice ſubulatis reflexis, ferrugineis, cum baſi non raro coccinea..

Domino Königio debemus.

Tab. VI. fig. 1. A. Culmi cum radicibus & foliis. B. Umbella cum involucro. C. Radius capitulo terminatus.

a. ſpica cum ſqvama b. m. a.

27. CYPERUS umbella ſimpliciſſima, polyphylla; capitulis terminalibus, ſolitariis, oblongo-ovatis; ſpicis ovatis, concavis, denſiſſime conglomeratis. Program. noſtr. 1772. pag. 23. No. 59.

Scirpus Luzulæ, culmo triqvetro, nudo, umbella folioſa, prolifera; ſpiculis ſubrotundis. Linn. Sp. Pl. Part. I. pag. 75?

N. Buurm. Fl. Indica pag. 22.

Gramen Cyperoides, orientale, panicula elegantiſſima in glomerulos conflata. Plukenet. Mant. 97. tab. 417. fig. 3.

Gramen Cyperoides minus, ſpicis compactis, ſubrotundis, flavicantibus. Sloan. Jam. tab. 79. fig. 1.

CULMUS ſeſqvipedalis, ſtrictus, ſtriatus, triqveter, ſupra nudus.

FOLIA ad baſin culmi (3—4) lanceolata, carinata, ſtriata, margine retrorſum ſcabra, lineas 2 & ultro lata, longitudine culmi.

INVOLUCRUM patens, polyphyllum, (8—9) longiſſimum, margine & carina ſubaculeatum.

OCHREÆ laxæ, 3 circiter lineas longæ, ſtriatæ, ora ſuperiori obliqviſſimæ, ferrugineæ, membranaceæ.

UMBELLA ſimpliciſſima. RADII ſive PEDUNCULI numero foliorum involucri, patentes, firmi, triqvetri; *extimi* biunciales; *intimi* qvo centro propiores, eo breviores. Omnes capitulo ſolitario, oblongo-ovato, magno, terminati.

SPICÆ confertiſſimæ, minimæ, (1½ lin.) ovatæ, concavæ, compreſſæ, diſtichæ; imbricatæ *ſqvamulis* X—XII ovatis, concavis, membranaceis, ſine ſtriis manifeſtis, pellucido-argenteis.

Color totius Graminis glaucus.

Ex horto Amſtelodamenſi ſiccam advexit hortulanus noſter induſtrius Kæſemaker. Varietatem dimidio minorem capitulis minoribus, tuberculatis, & e minoribus veluti conflatis, in Suriname legit Dominus Rolander. Fecit hæc, uti & Domini Burmanni in Flora Indica authoritas, ut noſtrum, cum dubio tamen, ad Scirpum Luzulæ Linnæi referam.

Tab. XIII. fig. 2. A. Culmus cum foliis. B. Culmus nudus. C. Umbella cum involucro. D. Radii. E. Capitula.
a. ſpica cum ſqvama. b. m. a.

28. CYPERUS difformis, culmo triqvetro, ſubnudo; umbella diphylla; ſimplici, trifida; ſpicis linearibus, conglomeratis. Linn. Sp. Pl. Part. I. pag. 67. Mantiſſa altera pag. 321. Program. noſtr. 1772. pag. 19.

Gramen Cyperoides elegans, Vaſſumbo Currii Malabarorum. Plukenet. Amalth. tab. 317. fig. 5. mala.

Potius Cyperus Maderaſpatanus minor, panicula e ſpicis mollibus compoſita. Moriz. Hiſtor. plant. Part. III. §. VIII. pag. 238. No. 33.

Gramen Cyperoides elegans, panicula ſpicis valde mollibus compoſita, Maderaſpatanum. Pluk. Almag. botanic. pag. 179. Phytogr. Tab. 192. fig. 2.

RADICES faſciculatæ, fibroſæ, ferrugineæ.

CULMUS triqveter, flaccidus, debiliſſimus, pedalis, foliis binis linearibus, mollibus, biuncialibus, viridi-fuſcis, ſupra baſin inſtructus, cæterum nudus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE; folia 2—3 linearia, margine ſcabra, qvorum unum terminale, erectum, longiſſimum; reliqvum vel reliqva (ſi duo) inæqvalia, umbellæ ſubjecta, patentia, multo breviora. INVOLUCRA PARTIALIA. Sqvamæ lanceolatæ, vel ovato-acuminatæ ad ortum ſpicarum.

OCHREÆ ferrugineæ, ſtriatæ, laxæ, truncatæ, obtuſe acuminatæ.

UMBELLA ſimplex. Radii (3—5) pauci, patentes, ſtricti, inæqvales, breves; ſinguli ſpicarum plurimarum (XXIV—XXX) in roſulam ſparſarum glomere terminati, capitulo intermedio uno, alteroqve, ſeſſili.

SPICÆ diſtichæ, lineares, tenerrimæ, 2 ad 3 lineas longæ, imbricatæ ſqvamis (X—XII) parvis, alternis, remotiuſculis, membranaceis, ſubrotundis, concavis, carina ſtriatis, ferrugineis, cæterum albis.

Tab. IX. fig. 2. A. Culmus cum foliis. B. Umbella cum involucro. C. Roſulæ ſpicarum.
a. ſpica cum b. ſqvama m. a.

29. CY-

29. CYPERUS ſqvarroſus, culmo triqvetro, folioſo; umbella folioſa, glomerata; ſpicis linearibus, ſtriatis, ſqvarroſis. Linn. Sp. Plant. Part. I. pag. 66. Progr. noſtr. 1772. pag. 17.

Gramen Cyperoides, Maderaſpatanum, minimum, Iſchæmi paniculis cum ariſtis. Plukenet. Amalth. 114. tab. 397. fig. 2.

RADICES capillares, faſciculatæ, nigræ.

CULMI plures, 1—2 unciales, filiformes, triqvetri.

FOLIA lineari-ſetacea, toto gramine longiora, vaginis purpuraſcentibus, baſin culmi ambientia; *recentia* glauca, *vetuſtiora* ferruginea.

INVOLUCRUM. Folia 4, raro 3, aut 5, alternis brevioribus, umbella longiora, patentia, caulinis ſimilia. Bracteæ parvæ, ovatæ, ad baſin ſpicæ ſingulæ.

OCHREÆ breviſſimæ, truncatæ, muticæ.

UMBELLA bi- vel trifida; umbellula intermedia ſeſſilis, laterales 2—3 interdum, breviſſimæ, ſubſeſſiles, nudæ, partem prioris mentientes, ſæpius pedunculis divaricatis, longitudine fere umbellulæ centralis, inſiſtentes.

SPICÆ plurimæ, lineares, acutæ, ſtriatæ, ſqvarroſæ, diſtichæ, radiorum ad inſtar in orbem ſparſæ, licet alternæ.

SQVAMÆ communiter (X—XIV) lanceolatæ, acutiſſimæ, compreſſæ, carinatæ, apice reflexæ, ſubhirtæ, ferrugineæ vel gryſeæ, carina virides, cotulam orbiculatam poſt decidentiam relinqventes.

Etſi figura ſpicarum non minus ac longitudine & numero involucri a ſpecimine, qvod in Amœnitatibus deſcripſit Linnæus, differat, eandem tamen ſpeciem eſſe monſtrant attributa reliqva, & annotationes ſeriores in Mantiſſ. Pl. altera pag. 321.

Ad Caput B. Spei & in Tranqvebaria collegit Dominus Königius.

Tab. VI. fig. 3. A. Culmi cum foliis & radicibus. B. Umbellæ cum involucro.

a. ſpica. b. ſqvama a tergo. c. a latere.

30. CYPERUS Jeminicus, culmo incurvo, triqvetro, baſi bulboſo; foliis faſciculatis, ſetaceis; umbella ſimpliciſſima; ſpicis conglomeratis. Program. noſtr. 1772. pag. 24.

RADIX bulboſa, baſi radiculas fibroſas, flexuoſas, ſimplices emittens.

CULMUS tenuis, flexuoſus, triqveter, palmaris, ſuperiori parte nudus.

FOLIA faſciculata, lineari-ſetacea, flexuoſa, culmo breviora, baſi lateſcente, ferruginea, bulbum augentia.

INVOLUCRUM univerſale, diphyllum, umbella paulo longius. INVOLUCRUM partiale, ſqvamæ lanceolatæ, acuminatæ, ad ortum ſpicarum.

UMBELLA ſimpliciſſima, conſtans radiis paucis (3—4) cum umbellula intermedia (1—2) ſubſeſſili, longitudine pedunculorum.

SPICÆ ad apices pedunculorum glomeratæ, lineares, compreſſæ, diſtichæ, unciam vix longæ; imbricatæ ſqvamis plurimis (XXX circiter) lanceolatis, acutis, concavis, carinatis, apice recurvis, margine membranaceis.

STAMINA. Filamenta 3 membranacea. Antheræ ſubulatæ.

PISTILLUM. Germen parvum, triqvetrum. Stylus trifidus. Stigmata longiſſima, flexuoſa, hirſuta.

Color culmi & foliorum glaucus; ſpicæ variegatæ; ſqvamæ nigro-purpureæ, carina, ſtriis & magine albæ. Filamenta, Germen & Stylus alba, Antheræ & ſtigmata nigro-purpurea.

In regione Jeminenſi in Arabia invenit B. Prof. Forſkåhl.

Tab. VIII. fig. 1. A. Bulbus cum radiculis & foliis. B. Culmus. C. Umbella cum involucris.

a. ſpica. b. ſqvama.

31. CYPERUS articulatus, culmo tereti, nudo, articulato. Linn. Sp. Plant. Part. I. pag. 66. Program. noſtr. 1772. pag. 16.

Juncus Cyperoides, creberrime geniculatus, medulla farctus, aqvaticus, radice rubra, tuberoſa, odorata. Sloan. Hiſt. Jam. Part. I. pag. 121. tab. 81. fig. 1.

CULMUS articulatus, teres, farctus, ſiccitate collabeſcens, nudus, plus qvam pedalis, coloris cæſii.

INVOLUCRUM. Sqvamæ ovatæ, concavæ, ſtriatæ, minimæ, exterius ad baſin umbellæ; his ſimiles, ſed anguſtiores, lanceolatæ, concavæ, ad ortum pedicillorum.

OCHREÆ pedunculorum ſtriatæ, punctatæ, ora ſuperiori obliqvæ, acuminatæ. OCHREÆ *Pedicillorum* ſimiles, ſed breviores.

UMBELLA nuda, ſubſimplex. Radii plures (8—9) ſtriati, filiformes, flexuoſi, inæqvales; *longiores* triunciales, apice ſubtrifidi; *breviores* (½—1) unciales) ſimpliciſſimi; umbellula non raro intermedia una, alteraqve, ſubſeſſili.

SPICÆ confertæ, lineares, alternæ, 6—9 circiter lineas longæ, 1 latæ, coloris ferruginei, imbricatæ ſqvamis (XVI—XX in perfectioribus), alternis lanceolatis, concavis, carina ſtriatis, hac uti & margine albis.

In Suriname collegit Dominus Rolander; Roſette in Ægyptia pulcriora & perfectiora ſpecimina ſub nomine Cyperi Nilotici novi B. Profeſſor Forſkåhl.

32. CYPERUS ſphacelatus, culmo triqvetro; umbella ſimpliciſſima; ſpicis linearibus, alternis, compreſſis; floſculis margine ſphacelatis. Program. noſtr. 1772. pag. 21.

RADIX bulboſa, fibras plures flexuoſas undiqve emittens.

FOLIA ad radicem (5) plura, linearia, graminea, glauca, longitudine fere culmi.

CULMUS tenuis, pedalis, ſtriatus, triqveter.

INVOLUCRUM univerſale. Folia 3 linearia, patentia, umbella longiora. INVOLUCRUM *partiale.* Sqvamæ lineari-ſetaceæ, ad pedicillorum ortum.

UMBEL-

UMBELLA ſimpliciſſima. Radii pauci (2—3) erecto-patentes, ſtriati, triqvetri, ſeſqviunciales, apice floribus ſive ſpicis paucis, alternis, onuſti, cum umbellula una alteraqve, intermedia, ſubſeſſili.

SPICÆ diſtichæ, lineares, complanatæ, longitudine 4 vel 5 linearum; imbricatæ floſculis alternis, oblongis, concavis, carinatis, glaucis, dorſo viridibus, ſtriatis, margine inferiori ad commiſſuram cum ſocio macula oblongo-lineari, nigro-purpurea, inqvinatis.

RACHIS flexuoſa.

Figura Scheuchzeri tab. VIII. 14 melius hujus, qvam ejus, cui applicatur, umbellam deſignat. In Suriname detexit Dominus Rolander, qvi ad Cyperum compreſſum Præceptoris retulit, de macula monens.

33. CYPERUS compreſſus, culmo triqvetro, nudo; umbella univerſali triphylla; glumis mucronatis, latere membranaceis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 68. Program. noſtr. 1772. pag. 21.

Cyperus rotundus, gramineus, fere inodorus; panicula ſparſa, compreſſa, viridi. Sloan. Hiſt. Jamaic. Part. I. pag. 117. tab. 76. fig. 1?

Graminis Cyperoidis ſpecies major, Vaudemaulecode Malabarorum. Pluk. Mantiſſ. pag. 97. tab. 417. fig. 2.

RADIX fibroſa, fuſca.

CULMUS triqveter, ſtriatus, ſupra nudus, pedalis.

FOLIA ad baſin ſubterna, graminea, linearia, mollia, culmo breviora, glauca; vaginis purpuraſcentibus.

INVOLUCRUM univerſale. Folia 4 linearia, qvorum maxima, umbella fere duplo longiora. INVOLUCRA *partialia* nulla.

OCHREÆ 3 lineas fere longæ, coccineæ, apice palleſcentes, truncatæ.

UMBELLA ſimplex. Radii ſive pedunculi inæqvales, $1\frac{1}{2}$ ad 3 uncias longi, filiformes; ſpicis digitatis qvaternis terminati, cum umbellula intermedia, ſeſſili.

SPICÆ lanceolatæ, diſtichæ, lateribus compreſſæ, ſubtetraqvetræ, angulis lateralibus extantioribus, longitudine circiter $\frac{3}{4}$ ad 1 unciæ.

SQVAMÆ in ſpica ſingula (XX—XXIV) concavæ, lanceolatæ, compreſſæ, acuminatæ, dorſo atqve carina virides, lateribus 3—4 ſtriis purpureis pictæ, margine membranaceæ, albidæ, baſi deciduæ.

Figura Sloanei, ſi noſtram deſignat, minus laudabilis.

Dominus Königius e Malabaria miſit.

Tab. IX. fig. 3. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Spicæ terminales.

a. ſqvama.

34. CYPERUS hexaſtachyos, foliis gramineis, linearibus, molliuſculis, glaucis; umbella ſimplici flaccida; ſpicis linearibus, alternis, ſubſenis.

Cyperus rotundus culmo triqvetro, ſubnudo, umbella decompoſita, ſpiculis alternis linearibus. Linn. Fl. Zeil. pag. 15. N. 36. Sp. Plant. Part. I. pag. 67.

RADIX fibroſa, nodulos ſive tubera, e qvibus more generis nova germinat proles, hinc inde emittens.

CULMUS bipedalis, tenuis, ſtriatus, triqveter.

FOLIA (5—6) alterna, linearia, molliuſcula, longiſſima, glauca, margine lævia, vaginis membranaceis, teſtacei coloris, ad 3 vel 4 pollices, Culmi baſin obducentia.

INVOLUCRUM univerſale. Folia (4—5) inæqvalia; maximis (1—2) umbella paulo longioribus. PARTIALE ſqvama lanceolato ſetacea ſpicæ ſingulæ ſubjecta.

OCHREÆ obliqve truncatæ, ſtriatæ, laxæ, coloris teſtacei.

UMBELLA ſimplex. Radii (3 vel 4) filiformes, flaccidi, tenues, 2—3 unciales, cum umbellula centrali, ſubſeſſili.

SPICÆ (4—7) freqventius (6) alternæ, lineares, acutæ, diſtichæ, ferrugineæ, vel dilute purpureæ, margine albidæ, glabræ, unciales fere, imbricatæ ſqvamis XIV—XVI, lanceolatis, obtuſis, concavis; carina ſtriata, viridi.

In Arabia a B. Forſkåhlio lectus eſt. Synonymo anſam dedit Hermanni Herbarium, in bibliotheca Excellentiſſimi Comitis de MOLTKE aſſervatum, cui numerus Fl. Zeilanicæ Linnæi ipſius manu eſt adſcriptus.

Tab. XIV. fig. 2. A. Culmus inferior foliis obtectus. B. Stolonum tubera. C. Culmus nudus, tranſverſim ſectus, magnitudine fere naturali. D. Umbella cum involucro. E. Radii. F. Spicæ.

35. CYPERUS tuberoſus, culmo triqvetro, baſi folioſo; involucro triphyllo; umbella compoſita; ſpicis lanceolatis, teretiuſculis. Program. noſtr. 1772. pag. 18.

RADIX tuberoſa, fuſca vel ferruginea, ſqvamis membranaceis, emarcidis per zonas veſtita, fibras plurimas undiqve emittens.

CULMUS triqveter, ſupra nudus, bipedalis, teſtaceus, fuſco-maculatus.

FOLIA 4 vel 5 alterna, lanceolata, longiſſima, glauca, margine atqve carina ſcabra.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia 3, inæqvalia, caulinis ſimilia, maximo umbella duplo vel triplo longiore. INVOLUCRUM PARTIALE. Bracteæ ſetaceæ, ad diviſionem Paniculæ atqve Florum exortum.

OCHREÆ ferrugineæ, ſtriatæ, obliqve truncatæ, 2 lineas circiter longæ.

UMBELLA compoſita, conſtans radiis ſive pedunculis (4—5) inæqvalibus, ſeſqvi- vel biuncialibus fere, apice interdum diviſis, cum umbellis centralibus, una, alteraqve, breviſſime pedunculatis.

SPICÆ alternæ, lanceolatæ, teretiuſculæ, diſtichæ, craſſæ, longitudine dimidiæ circiter unciæ, imbricatæ ſqvamis ovatis, concavis, (XII circiter) dorſo ſtriatis, dilute ferrugineis, margine membranaceis, albidis.

Tab. VII. fig. 1. A. Tuber, unde radiculæ. B. Folia. C. Culmus. D. Umbella. E. Radii ſpicas ferentes.
a. ſpica. b. ſqvama.

36. CY-

36. CYPERUS, culmo folioſo, triqvetro; involucro tetraphyllo; umbella compoſita; ſpicis alternis, oblongo-lanceolatis, nitidis. Program. 1772. pag. 19.

Cyperus pumilus, culmo triqvetro, nudo; umbella diphylla, compoſita; ſpiculis alternis, digitatis, lanceolatis; glumis mucronatis. Linn. Sp. Plant. Part. I. pag. 67.

Gramen Cyperoides, pumilum, elegans e Maderaſpatan. Pluken. Almageſt. botanic. 179. tab. 191. fig. 8?

CULMUS palmaris, triqveter.

FOLIA lanceolata, vel lineari-lanceolata, carinata, ſtriata, margine inermia, revoluta, vaginis pallide purpuraſcentibus, reticulatis, baſin culmi ambientia; coloris flaveſcentis.

INVOLUCRUM ſub-tetraphyllum, inæqvale; foliis alternis brevioribus, anguſtioribus, umbella minoribus.

OCHREÆ obliqve truncatæ, ſtriatæ, fuſcæ, tres circiter lineas longæ.

UMBELLA compoſita. Umbellulæ intermediæ ſeſſiles; laterales pedunculatæ; *Pedunculi* ſ. *Radii* pauci (4), 1—1½ unciales, ſtriati, ſtricti, apice 7—10 ſpicas alternas, ſubdigitatas (inferioribus non raro binatis) proferentes.

SPICÆ oblongo-lanceolatæ, diſtichæ, planiſſimæ, nitidæ, 5—7 lineas longæ, 1—2 & ultro latæ, imbricatæ ſqvamis (XVI—XVIII circiter) compreſſis, lanceolatis, concavis, obtuſis, fuſcis, vel obſcure purpureis ſive ſpadiceis, glaberrimis, lucidis, carina ſtriatis, hac atqve margine flaveſcentibus.

Subſeqventi colore, carina, & ſtructura ſqvamarum ſimillimus.

Sub nomine C. Pumili ſc. L. miſit Dominus Königius, nec figura Plukenetii multum abſcedit; ſed de colore atqve nitore ſpicarum tacet Linnæus; habitumqve C. compreſſi, & mucrones ſqvamarum, qvos deſiderat deſcriptiuncula, in noſtro non invenio; hinc de ſynonymo meo adhuc incertus ſum.

Tab. IX. fig. 4. A. Culmus. B. Umbella cum involucris. a. ſqvama.

37. CYPERUS procerus, culmo triqvetro, ſubnudo; foliis lanceolatis; umbella decompoſita; ſpicis lineari-lanceolatis, alternis, nitidis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 67. Program. noſtr. 1772. pag. 18.

Potta-pullu Rheed. H. Maleb. Part. XII. Tab. 50. pag. 93?

Cyperus orientalis, radice olivari, ſpicis longis e ſpadiceo purpuraſcentibus. Scheuchz. Agroſtographia p. 391. Tab. IX. fig. 3?

Cyperus rotundus, inodorus, eſculentus ſive Thraſi-Italorum. Moriz. Part. III. §. VIII. qvoad figuram.

CULMUS bipedalis, craſſus, farctus, ſtriatus, triqveter, ad baſin capillamento fuſco veſtitus.

FOLIA in infimo caule ſubqvina, lanceolata, carinata, margine lævia, culmum æqvantia, viridi-lutea, vaginis pallidis, purpureo-maculatis, baſin culmi amplexantia.

INVOLUCRUM univerſale. Folia ſubterna, inæqvalia; maximis umbella duplo longioribus, præter hæc alia multo breviora, lineari-ſubulata, ſetacea, pedunculis pedicellisqve appoſita.

OCHREÆ purpureæ, laxæ, truncatæ, pedunculos atqve pedicillos vaginantes.

UMBELLA decompoſita. Radii 5 vel 6, ½—3 unciales, tenues, ſtricti; *maximi* apice diviſi, trifidi; *minores* ſimpliciſſimi, cum umbella centrali ſubſeſſili.

SPICÆ alternæ, lineares, compreſſæ, diſtichæ, glaberrimæ, ſeſqviunciales circiter, lineam 1—1½ latæ.

SQVAMÆ ovato-lanceolatæ, obtuſiuſculæ, concavæ, obſcure purpureæ, ſive ſpadiceæ, nitidæ, dorſo, carina vero imprimis ſtriatæ, hac ut & margine albæ (XXIV—XXVI) infima ſubulata, palleſcente, membranacea, cæteris involucri loco ſubjecta.

Hunc in Ægypto legit B. Profeſſor Forſkåhl.

Specimina minora, culmis tenerioribus, foliis ſpicisqve anguſtioribus, umbella ſimpliciſſima, a Domino Königio & horto Pariſienſi poſſideo; qvum tamen color & ſtructura ſqvamarum utrinqve eadem, ad varietates refero. *Rotundi* nomen, qvo in Program. atqve hujus libri Prologo ad Cyperos pag. 18 uſus ſum, mutavi, qvum ex Herb. Hermanni illud ad (noſtrum 34) pertinere, his diebus didicerim. An hunc vel illum voluerit Scheuchz. pag. 391, neſcio. Pro Eſculento habere vetat Scheuchz. deſcriptio pag. 382, licet hoc ſvadeat Morizoni icon.

Tab. V. fig. 3. A. Culmus baſi folioſus, ſupra nudus. B. Folia. C. Umbella. D. Diviſio umbellæ.

a. ſqvama a latere. b. a tergo. c. ſpica.

Fig. 3* varieta minor. A. Umbella. B. Spicæ.

a. ſqvama.

38. CYPERUS tenuiflorus, culmo triqvetro; foliis linearibus; umbella decompoſita; ſpiculis linearibus, acutis, anguſtiſſimis.

CULMUS triqveter, tenuis, ſtriatus, ad baſin folioſus.

FOLIA longitudine circiter culmi, linearia, margine revoluta, flaveſcentia, anguſtiora ac in antecedente.

INVOLUCRUM univerſale. Folia 3—4, inæqvalia, qvorum maximum umbella duplo circiter longius. PARTIALE. Folium lanceolatum, acutum, umbellæ diviſionibus ſubjectum.

OCHREÆ breves, obliqve truncatæ.

UMBELLA decompoſita, conſtans radiis (7) pluribus (1—2 uncialibus) inæqvalibus, filiformibus, apice alternatim plures, at breviſſimos ramulos emittentibus cum umbellula centrali, ſubſeſſili.

SPICÆ alternæ, lineares, acutæ, tenuiſſimæ, anguſtiſſimæ, nitidæ, plures in ſingula rachide, ac magis approximatæ, qvam in antecedente; (5—7) lineas longæ, ½ circiter latæ; imbricatæ ſqvamis (XII—XIV) oblongis, diſtichis; eadem, ac in antecedente, ratione coloratis.

Icon Morizoni Cyperum longum ſiſtens, noſtri umbellam referre videtur; exemplar vero C. *Longi* herbarii noſtri, qvod Bononiæ dedit Optimus Ferdinandus Baſſi, ut maximam ab hoc Tenuifloro monſtrat differentiam, ita e contrario ſtructura umbellæ, ut & fabrica & colore ſpicarum, Iconi & deſcriptioni, qvibus Scheuchzerus alterum pag. Agroſtogr. 378 illuſtravit, optime convenit,

ut

ut veram ſpeciem eſſe dubitare non poſſim. In horto Hagenſi crevit, unde per hortulanum noſtrum Kæſemakerum allata ſunt ſpecimina ſicca.

Tab. XIV. fig. 1. A. Culmus cum foliis ad baſim. B. Umbella cum involucris. C. Radii ſive Pedunculi. D. Diviſio pedunculorum.
a. ſpica m. a.

39. CYPERUS Pangorei, culmo triqvetro; involucro triphyllo; umbella univerſali, decompoſita; partialibus ſubtrifidis; ſpicis alternis, filiformibus. Program. noſtr. 1772. pag. 18.

CULMUS triqveter, ſeſqvipedalis, & altior, fungoſus, ſiccitate collabeſcens, ſtriatus, pallide-viridis, fuſco-maculatus.

INVOLUCRUM. Folia 3 linearia, glauca; 2 longitudine circiter umbellæ; tertium dimidio brevius. INVOLUCRUM PARTIALE. Sqvamula ovato-lanceolata ad pedicillorum & ſpicarum ortum.

OCHREÆ 1—1½ lineas longæ, truncatæ, ferrugineæ.

UMBELLA decompoſita; *umbellulæ centrales* 1—2 ſeſſiles; *cæteræ* radiis (8) pluribus, inæqvalibus, ½—4 uncialibus, patentiſſimis, apice ſubtrifidis, inſiſtentes.

SPICÆ lineares, diſtichæ, tenuiſſimæ ſive filiformes, teretiuſculæ, alternæ, ſeſqviunciales, ½ lineam circiter latæ, 6—9 in terminali, 3—4 in lateralibus umbellulis.

SQVAMÆ XX & plures, alternæ, compreſſæ, oblongæ, concavæ, carina ſtriatæ, coloris ferruginei cum carina & margine pallidiore.

Ab antecedente (37) facile diſtingvitur, licet habitu cum eo multum conveniat. Miſit ſub hoc nomine barbaro Tranqvebaria Beatus Bög, Paſtor tunc temporis loci meritiſſimus, cujus in matrimonio ſucceſſor eſt Dominus Königius.

Tab. VII. fig. 3. A. Culmus. B. Umbella. C. Diviſio umbellæ. D. Spicæ.
a. ſqvama latus obvertens m. a.

40. CYPERUS ſerotinus, umbella univerſali decompoſita, folioſa; partialibus nudis, ſubtrifidis; ſpicis teretiuſculis, alternatim pinnatis. Program. noſtr. 1772. pag. 18.

Cyperus ſerotinus, odoratus radice longa, paniculis e locuſtis latis, ferrugineis, compactis. Montii Prodr. Tab. I. fig. 2.

Scheuchz. Agroſtographia pag. 380.

CULMUS altus, ſtriatus, glaucus.

INVOLUCRUM univerſale. Folia (4—5) lineari-lanceolata, qvorum (2), qvæ maxima bipedalia, umbella 3 & qvatruplo longiora, reliqva ſenſim breviora; minimis ſeſqviuncialibus, lineari-ſetaceis. INVOLUCRA *partialia*. Sqvamæ ſetaceæ ad ſubdiviſiones umbellæ, ſpicarumqve exortum.

OCHREÆ 6—8 lineas longæ, truncatæ, baſi purpureæ.

UMBELLA decompoſita, conſtans radiis pluribus, (10) patentibus inæqvalibus, 2—5 pollicaribus, apice ramos alternos, ſive pedunculos (3—5) paucos, educentibus.

SPICÆ diſtichæ, lineares, ſubteretes, craſſiuſculæ, plurimæ (24—28) alterne pinnatim toti fere longitudini pedunculorum affixæ, imbricatæ ſqvamis (XX circiter) alternis, concavis, ovatis purpureis, nitidis, carina margineqve albidis.

Liberalitati ſagaciſſimi viri & acutiſſimi Botanici Domini Ferdinandi Baſſi, inter plures rariſſimas ſtirpes, qvibus me 1761, dum Bononiæ eram, donavit, elegantiſſimum hunc Cyperum, qvi inter Linnæanos non reperitur, debeo.

41. CYPERUS faſtigiatus, culmo triqvetro; umbella decompoſita; pedunculis longiſſimis, filiformibus, ſubqvinqvifidis; ſpicis plurimis linearibus, ſparſis. Progr. noſtr. 1772. pag. 18.

CULMUS ſuperiori parte (inferiorem non vidi) craſſus, triqveter, ſtriatus, glaucus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia (6) plura, colore culmi, margine & carina aculeata; *Maxima* umbella 2 vel 3 longiora, 2 lineas ad baſin lata; *cæteris* per gradus latitudine & longitudine decreſcentibus. INVOLUCRUM PARTIALE. Folia 2 ſetacea ad diviſionem pedunculorum.

OCHREÆ obliqve truncatæ, unciales circiter.

UMBELLA univerſalis conſtans pedunculis pluribus (10) inæqvalibus, filiformibus, flexuoſis, qvorum *longiſſimi* palmares & ultra, *minimi* vix unciales.

UMBELLÆ *partiales* ſubſeſſiles, conſtantes pedicillis ſubqvinis, capillaribus, flexuoſis, patentibus, baſi ad 1 vel 2 linearum diſtantiam nudis, cæterum tota longitudine floriferis.

SPICÆ (Cyperi longi ſimiles) ſparſæ, diſtichæ, alternæ, lineares, teretiuſculæ, imbricatæ, 4—5 circiter lineas longæ, dimidiam latæ, ferrugineæ, XX—XXIV in ſingulo pedicillo; conſtantes ſqvamis (XII) oblongo-lanceolatis, acuminatis, minimis, ferrugineis, margine albis, carina ſtriata, ſub-fuſca cum linea intermedia alba.

An Varietas Cyperi longi, panicula compactiore, a Scheuchzero pag. 380 Agroſtographiæ deſcripta?

Confer Cyper. umbellatum N. Burmann Fl. Ind. pag. 21. tab. 9. fig. 1.

Tab. VII. fig. 2. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Radii. D. Umbellula.
a. ſpica. b. ſqvama m. a.

42. CYPERUS Papyrus, culmo triqvetro, ſupra nudo; umbella decompoſita; pedunculis umbellatis; pedicillis ſimplicibus, diſtiche ſpicatis, qvaternis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 70. Syſtem. Nat. Edit. 12. pag. 82. Program. noſtr. 1772. pag. 23.

Papyrus Syriaca & Siciliana. Bauh. pinax 19 Theatri botanici 333.

Cyperus Niloticus, vel Syriacus maximus papyraceus. Morizon. Hiſtor. Part. III. pag. 239. S. 8. tab. 11. fig. 41.

Cyperus enodis, nudus; culmis e vaginis brevibus prodeuntibus; ſpicis tenuioribus. Scheuchz. Gram. pag. 387. tab. 8. fig. 14.

Cyperus omnium maximus, Papyrus dictus. Mont. Gr. 14. locuſtis minimis. Michel. Gen. 44. tab. 19.

CULMUS craſſus, ſtriatus, triqveter.

INVOLUCRUM univerſale. Folia 8. 4 *Exteriora* lanceolata, acutiſſima, carinata, ſtriata, margine aculeata, inæqvalia, umbella breviora, cum totidem *interioribus*, multo minoribus.

INVOLUCRA *partialia.* Folia 4, lineari-ſetacea, anguſtiſſima, umbellula recenti multo longiora.

OCHREÆ PEDUNCULORUM cylindricæ, arctæ, transverſim truncatæ, uncia longiores; OCHREÆ PEDICILLORUM obliqve truncatæ, multo breviores.

UMBELLA decompoſita. UNIVERSALIS ditiſſima, conſtans radiis ſive pedunculis (40) plurimis ſpithamam & ultra longis, ſubæqvalibus, ſine ulla umbella ſeſſili. UMBELLÆ PARTIALIS radii numero foliorum involucri (4) flexuoſi, filiformes, triqvetri, tota fere longitudine floribus alternis diſtiche obſiti.

SPICÆ lineares, diſtichæ, minimæ.

Color totius graminis glaucus, vel albidus; ſpicarum & apicum ochrearum teſtaceus, vel ferrugineus.

Graminis hujus diutiſſime noti tolerabili icone atqve completa deſcriptione adhuc caremus. Auctores vetuſtiores ramificationes pedunculorum qvidem exhibent, nimis tamen obſcure & diviſionem ipſam & fabricam umbellæ partialis exprimunt. Optimus Scheuchzerus umbellam partialem, cujus iconem minus laudabilem dedit, optime deſcripſit, at radios ſive pedunculos umbellæ principis pro totidem culmis habuit, unde non potuit non perverſam ſtirpis noſtræ ideam animis curioſorum ingenerare. Qvi poſt ipſum rem aggreſſus eſt Michelius, etſi breviter admodum mentem ſuam expoſuit, eadem tamen chorda oberraſſe videtur. Hos ſecutus Linnæus in Tomo I. Sp. Pl. umbellam Cyperi noſtri ſimplicem fecit; concinna vero & perſpicua deſcriptione vitium definitionis, qvam tamen mutare videtur oblitus, in Syſt. naturæ poſtea correxit. In meo ſpecimine numerum qvaternarium in umbellulæ involucris & radiis, uti pinxit Michelius, nec ternarium, qvod volunt Scheuchzerus atqve Linnæus, obtinere certum eſt; at laxitati potius naturæ, qvam ullo vitio hanc differentiam adſcribendam puto. Beato Forſkåhlio, cui tot pulcerrimi ſeſe gregatim obtulerunt Cyperi, hunc ſe in natali ſolo ſubduxiſſe mirum eſt. Anno 1761 vivum in horto Patavino vidi. Specimen inter multas raras plantas dedit vir humaniſſimus Profeſſorqve prorſus egregius Ardvini.

43. CYPERUS fuſcus, culmo triqvetro, nudo; umbella multifida; pedunculis ſimplicibus, inæqvalibus; ſpicis linearibus, confertis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 21.

Gramen Cyperoides minus, panicula ſparſa, nigricante. Bauh. pin. 6.
Cyperus minor, pulcer, panicula compreſſa, nigricante. Morizon. Hiſt. P. 3. 239. ſ. 8. tab. 9. fig. 38.
Cyperus minimus, panicula ſparſa, nigricante T. Scheuchzeri Gramina 384.
Flor. Danicæ Icon. CLXXIX.
Cyperus umbella trifolia, ſpicis petiolatis, congeſtis, glumis ovato-lanceolatis. Hall. Hiſt. St. Helv. Tom. II. pag. 181.

CULMUS tenuis, ſtriatus, plus qvam pedalis, triqveter, baſi folioſus, cæterum nudus.

FOLIA graminea, mollia, linearia, carinata, culmo breviora.

INVOLUCRUM univerſale triphyllum, inæqvale; foliis duobus umbella longioribus, tertio breviore. INVOLUCRUM *partiale* nullum.

OCHREÆ ſesqvilineales, laxæ, obliqve tuncatæ, nigro-punctatæ.

UMBELLA decompoſita; *umbellulæ centrales* 2—3 ſubſeſſiles. Harum ad latus *Pedunculi* ſive radii (6) plures, patentiſſimi, laxi, inæqvales; *Maximis* uncias circiter duas longis. Cuncti fere, præter centralem ſeſſilem, terminati umbellula breviſſima, nuda, ſubtrifida; ſpicarum roſula apices ornante.

SPICÆ lineares, complanatæ, diſtichæ, anguſtiſſimæ, breves, nigro-purpureæ; imbricatæ ſqvamis (XX) pluribus, minimis, ſuboppoſitis, oblongo-ovatis, mucronatis, concavis, nigro-purpureis, carina & margine viridibus.

Creſcit copioſe Roſettæ in Ægypto, ubi collegit B. Forſkåhl rarum hoc gramen, qvod Patriæ noſtræ cum Ægypto commune eſt.

44. CYPERUS elegans, culmo triqvetro, nudo; umbella folioſa; pedunculis nudis, proliferis; ſpicis confertis; mucronibus patulis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 68. Program. noſtr. 1772. pag. 20.
Cyperus panicula maxime ſparſa, ferruginea, compreſſa, elegantiſſima. Sloan. Hiſt. Jam. Part. I. pag. 117, tab. 75. fig. 1.

CULMUS durus, aſper, punctis rigidis ſcaber, ſtrictus, ſtriatus, triqveter, pedalis & altior, ſupra nudus.

FOLIA linearia, carinata, involuta, longiſſima, ſtricta, ſcabra, baſi culmum vaginantia.

INVOLUCRUM univerſale. Folia 4; 2 patentiſſima, umbella longiora, ſtricta, margine aculeata, cum 2 aliis minoribus, 1 circiter unciæ longitudine. INVOLUCRUM *partiale.* Folia 3 aut 4, ſubulata, pungentia, margine aculeata, umbellula breviora.

OCHREÆ 3 circiter lineas longæ, ſtriatæ, ferrugineæ, obliqve truncatæ, laxæ.

UMBELLA decompoſita, ſtrictiſſima. *Radii* (8) plures, culmi adinſtar ſcabra. *Interiores* breviores, capitulo unico glomerato; *exteriores* longiores umbellula (3—4) paucorum radiorum, breviſſimorum, divaricatorum, terminati, cum capitulo ſeſſili, intermedio, ad diviſionem utriusqve umbellæ.

SPICÆ plures, divaricatæ; omnes ovatæ, toroſæ, breves, diſtichæ, mucronibus floſculorum rigidis ſqvarroſæ.

SQVAMÆ (VIII—X circiter) concavæ, ovatæ, membranaceæ, laxæ, ſtriatæ, ferrugineæ, mucrone magis vel minus reflexæ.

Durioris

Durioris & triſtioris præ reliqvis habitus, qvi elegantia plurimis ſui generis cedit, mihi apparet hic Cyperus. Spicæ in figura Sloanei lineari-lanceolatæ, longiores, floſculisqve ditiores ac in noſtro, qvem ceteroqvin non male exprimit. Ex inſula Caribica St. Crucis per beatum Fabrum habeo.

Tab. VI. fig. 4. a. pedunculus ſive radius. b. umbella partialis. c. glomeres ſpicarum. d. ſpica & e ſqvama, utraqve m. a.

45. CYPERUS Surinamenſis, culmo triqvetro, nudo; umbella decompoſita; ſpicis oblongo-ovatis, conglomeratis; mucronibus incumbentibus. Progr. noſtr. 1772. pag. 20.

CULMUS plus qvam pedalis, ſtriatus, flaccidus, triqveter.

INVOLUCRUM UNIVERSALE, triphyllum, lineare. INVOLUCRUM PARTIALE ſqvama lanceolata, concava, ſpicis ſubjecta.

UMBELLA decompoſita. *Pedunculi* (16) plurimi, ſtriati, flexuoſi, laxi, inæqvales, ab ½ ad 2½ unciæ longitudine. *Umbella partialis*, brevis, nuda; *Pedicelli* huic pauci (4—5) patentiſſimi, reflexi, inæqvales, breviſſimi; ſinguli glomere ſpicarum denſiſſimo terminati. *Capitulum* 1 vel 2 in centro umbellarum ſeſſilia.

SPICÆ oblongo-ovatæ, compreſſæ, diſtichæ, teſtaceæ, 2 circiter lineas longæ; denſiſſime imbricatæ ſqvamis (XX) oppoſitis, lanceolatis, acutis, concavis, carinatis, apicibus arcte incumbentibus.

E Suriname attulit Dominus Rolander, Cyperum elegantem L. credens, a qvo ſtructura ſpicarum totoqve habitu diverſiſſimus & certe novus.

Tab. VI. fig. 5. a. pedunculi ſive radii ſummitas. b. umbella partialis. c. ſpicarum glomeres. d. ſpica & e ſqvama, utraqve m. a.

46. CYPERUS ligularis, culmo triqvetro, nudo; umbellæ ſpiculis capitatis, oblongis, ſeſſilibus; involucris longiſſimis, ſerrato-aſperis. Linn. Sp. Plant. Part. I. pag. 70. Progr. noſtr. 1772. pag. 23.

Cyperus maximus, panicula minus ſparſa, ferruginea, capitulis compactis, craſſioribus. Sloan. Jamaic. Hiſt. Part. I. pag. 36. tab. 9.

Ira Rheede Hortus Malabar. Part. XII. pag. 103. tab. 55.

Cyperus longus Indicus; ſpiculis plurimis, brevibus, tumidioribus, & coacervatis, Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 237. N. 17.

Gramen Cyperoides Maderaſpatanum, panicula magna inſigniter ſqvamata. Pluken. Amalth. pag. 211.

CULMUS altiſſimus, craſſus, ſtriatus, triqveter, glaucus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia plura, (7) lanceolata, ſulcata, reticulata, glauca, margine & carina aculeata, baſi coccinea, inæqvalia, *maximis* 2—3 pedalibus,

3—4 lineas latis; *minimis* 2 circiter lineas latis, longitudine umbellæ. INVOLUCRUM PARTIALE. Sqvamæ lanceolatæ ad diviſionem pedunculorum.

OCHREÆ 4—5 lineas longæ, obliqve truncatæ.

UMBELLA decompoſita, intermedia ſeſſili. *Pedunculi* ſive radii (5—6) inæqvales (1—4 uncias) longi, ſtricti, patentes, apice umbellulas cruciatas, ſubſeſſiles, radiorum fere 5, proferentes.

CAPITULA radios terminantia, oblonga, ſolitaria, craſſa, inæqvalia; longiſſimo, qvod pedunculum principalem terminat, ſpicis innumeris, confertiſſimis, undiqve patentibus, vel reflexis, imbricata.

SPICÆ cylindrico-ſubulatæ, diſtichæ, 3 circiter lineas longæ, vix 1 latæ, ferrugineæ & coccineæ, imbricatæ ſqvamis, (6—8) alternis, oblongis, concavis, ſtriatis, membranaceis, carina mucrone terminata.

Deſcriptio Horti Malabarici, figura ſpicularum, atqve numerus ſqvamarum faciunt, ut noſtrum credam, etſi icon cæteroqvin eſt peſſima. Sloanei etiam minus laudabilis. Specimen meum in Guinea legit Chirurgus Degen.

Tab. XI. fig. 2. A. Culmus. B. Involucrum cum umbella. C. Radii. D. Umbella partialis. E. Capitula terminalia. F. lateralia. a. ſpica. b. ſqvama.

47. CYPERUS Haſpan, culmo triqvetro, folioſo; umbella ſupra decompoſita, ſpiculis umbellato-ſeſſilibus. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 66. Program. noſtr. 1772. pag. 17.

Cyperus Maderaſpatenſis, panicula ſparſa, e plurimis minimis compoſita. Moriz. Pl. Hiſt. Part. III. §. VIII. pag. 236. N. 12.

Gramen Cyperoides Maderaſpatanum, panicula magis ſparſa & ſpecioſa. Plukenet. Almag. 179. tab. 192. fig. 2.

Cyperus Maderaſpatanus, panicula ſpecioſa ramoſiſſima Petiv. Scheuchz. Agroſtogr. 389. Tab. 9. fig. 1. an hujus varietas?

RADIX fibroſa, ferruginea.

CULMUS pedalis, laxus, flaveſcens, ſtriatus, tener.

FOLIA linearia, ſtriata, flaveſcentia, fuſco-maculata, toto gramine longiora.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia 2 caulinis ſimilia. Majus umbella $\frac{1}{3}$ parte longius; Minus eadem triplo circiter brevius. INVOLUCRUM PARTIALE. Sqvamæ lanceolatæ, ad ſubdiviſiones umbellæ partialis, & baſin ſpicarum.

OCHREÆ pedunculorum 4—5 lineas longæ, truncatæ.

UMBELLA ſupra-decompoſita. Radii *principales*, plurimi, (20 circiter), patentes, inæqvales, filiformes, longiſſimis palmaribus. R. *ſecundæ diviſionis* pauciores, (12—15) patentiſſimi & fere horizontales; longiſſimis ſeſqvipollicaribus. Radii 3 *diviſionis* (ubi datur) 5 ad 6 ſemipollicares & breviores. In 4 vel *ultima ſubdiviſione* ſpicæ 3 ad 6 in ſtellam expanſæ.

SPICÆ lineares, compreſſæ, diſtichæ, tenellæ, delicatiſſimæ, $\frac{1}{3}$ poll. longæ, vix $\frac{1}{2}$ lineam latæ, imbricatæ ſqvamis minimis, compreſſis, alternis, diſtantibus, obtuſiuſculis, vel truncatis, ferrugineis, punctatis XVI—XX in ſingula ſpica.

E Capite bonæ ſpei miſit Königius.

Tab. VI. fig. 2. A. Culmus cum radice & foliis. B. Umbella principalis cum involucro & ochreis. C. U. ſecunda. D. tertia umbella, cujus radii ſtella terminantur.

a. ſpica cum involucro partiali ad baſin m. a. b. ſqvama m. a.

48. CYPERUS, culmo triqvetro, nudo; umbella folioſa, ſupra-decompoſita; ſpicis alternis, longiſſimis, filiformi-ſubulatis. Progr. noſtr. 1772. pag. 20. N. 47.

Cyperus elatus, culmo triqvetro nudo, umbella folioſa, ſupra-decompoſita, ſpicis digitalibus imbricatis, ſpiculis ſubulatis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 67.

An Cyperus longus Indicus ſpiculis rarius diſpoſitis, minimis. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 237. N. 19?

Vara-pullu Hort. Malabar. Part. XII. Tab. 42. pag. 77?

Gramen Cyperoides, Malabaricum, tenui panicula ſparſa. Pluk. Amalth. pag. 112?

RADIX tuberoſa, fibras flexuoſas, ferrugineas, undiqve emittens.

CULMUS bipedalis, triqveter, ſtriatus, flaveſcens.

FOLIA alterna, lanceolata, carinata, margine reflexa, glauca, vaginis inferiorem Culmi medietatem ambientia.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia plura, lanceolata, inæqvalia, maximis umbella multo longioribus. INVOLUCRA PARTIALIA. Folia (2—4) linearia vel lineari-ſetacea, umbellulis breviora.

OCHREÆ unciales, ſeta vel acumine ſubæqvali terminatæ.

UMBELLA ſupra-decompoſita, umbellula centralis ad diviſionem primam atqve ſecundam ſubſeſſilis. Radii *primæ diviſionis* (10) plures, inæqvales, maximi ſpithamæi, minimis vix ſeſqviuncialibus. R. *ſecundæ diviſionis* dimidio pauciores (5) ſeſqvi- & biunciales. R. *tertiæ diviſionis* ſubterni in pedunculos, tota longitudine ſpicas recipientes, elongati, qvorum intermedius longiſſimus, fere biuncialis, interdum trifidus.

SPICÆ (10) plures alternæ, laxæ, tenuiſſimæ, filiformi-ſubulatæ, patentiſſimæ ſive horizontales, longitudine fere unius unciæ; imbricatæ *ſqvamis* plurimis (XXVIII) minimis, alternis, patulis, oblongis, obtuſiuſculis, ferrugineis, cum carina ſtriata, viridi.

Dantur ſpecimina multo brevioribus ſpicis, umbella ſolummodo bis diviſa, imo omnino ſimplici, ut e ſeminibus Königii ſata provenere in horto noſtro præterlapſa æſtate plura, qvibus qvum recenter erumpentes umbellæ reſponderint non male ſimilibus figuræ Horti Malabarici, occaſionem ſic citationibus dederunt.

Inveni hunc in Herbario Miſſionis Malabaricæ antiqvo, miſit etiam e Malabaria Defunctus nuper laudatus Paſtor B g; ſemina Königius; at perfectiſſimum ſpecimen effigiei noſtræ archetypon liberalitati Nobiliſſimi Centurionis Domini de Rohr, qvi in inſula noſtra Americana St. Crucis collegit, debeo.

Tab. X. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Umbella ſecunda. D. tertia. E. Radii, qvorum intermedius. F. trifidus. A* Spica magnitudine parum, B* magnitudine magis aucta.

49. CYPERUS culmo triqvetro, nudo; umbella ſupra decompoſita ſeſqvipedali; ſpicis confertiſſimis ſubulatis. Program. noſtr. 1772. pag. 21.

Cyperus odoratus, culmo triqvetro, nudo; umbella decompoſita, ſimpliciter folioſa, pedicillis diſtiche ſpicatis. Linn. Spec. Plant. Part. pag. 68.

Cyperus longus odoratus, panicula ſparſa, ſpicis ſtrigoſioribus viridibus. Sloan. hiſt. Jamaic. Part. I. pag. 116. tab. 74. fig. 1.

GRAMEN giganteum.

CULMUS craſſitie digiti, ſtriatus, triqveter.

INVOLUCRUM univerſale & partialia polyphylla, foliis lanceolatis, vel lineari-lanceolatis, longitudine reſpondentis umbellæ.

OCHREÆ unciales, angulatæ, apice bifidæ, purpuraſcentes.

UMBELLA ſeſqvipedalis, ſupra-decompoſita, 3 diviſa, ramis ditiſſima. PEDUNCULI ſive RADII principales, (24) plurimi, longiſſimi, pedicillis ſubſeqventes ad diviſiones numero & longitudine decreſcentibus.

SPICÆ confertiſſimæ, horizontales, toti fere pedicillorum longitudini diſtiche affixæ; omnes teretes, tenues, ſubulatæ, diſtichæ, dimidiam unciam circiter longæ, coloris ferruginei.

Apud Sloaneum ſpicæ longiores & craſſiores, ſed multo pauciores magisqve diſtantes; atqve umbella ipſa bis modo diviſa pingitur; cæterum figura ſatis bene reſpondet. In Suriname collegit Dominus Rolander.

50. CYPERUS Alopecuroides, culmo triqvetro; umbella ſupra-decompoſita; ſpicis digitatis, oblongis, ſpiculis confertiſſimis, imbricatis, erectis. Program. noſtr. 1772. pag. 20.

CULMUS craſſus, triqveter, ſtriatus, ſupra nudus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE (5 phyllum circiter) inæqvale. Folia lanceolata, ſulcata, rugoſa, margine lævia, revoluta; *Extima* umbella 2 vel 3 longiora, *interioribus* eadem multo brevioribus. INVOLUCRUM PARTIALE. Folia lanceolato-linearia, (3—4) acutiſſima, inæqvalia, ad diviſionem pedunculorum umbellulis, qvibus breviora, ſubjecta.

OCHREÆ unciales circiter, ora ſuperiori obliqvæ, foliolo ovato-lanceolato terminatæ.

UMBELLA ſupra decompoſita. *Radii* ſive Pedunculi plures (8) patentes, ſtriati, triqvetri; *extimi* palmares & ultra, *intimi* ſenſim breviores. *Radii ſecundæ diviſionis* (ubi datur) ſubqvini ½ vel 1 unciæ longitudine patentiſſimi, terminati SPICIS (3—5) digitatis, oblongis, ſeſſilibus, fere bi-uncialibus, ad baſin bractea lineari-

ſetacea

ſetacea ſuffultis, qvæ ſpiculis innumeris, erectis, vel erecto-patentibus, undiqve & confertiſſime imbricatæ ſunt. Spicæ præterea paucæ (2—4) in centro umbellæ primæ atqve ſecundæ ſeſſiles.

SPICULÆ ovato-lanceolatæ, compreſſæ, diſtichæ, ſqvamula ovata, transverſim poſita, ſuffultæ, 2 ad 3 lineas longæ, compoſitæ *Sqvamis* (XII—XIV) parvis, membranaceis, ovatis, obtuſiſſimis, gibbis, carina ſtriatis, margine inflexis; cunctis floriferis.

PISTILLUM. *Germen* parvum, obovatum, triqvetrum, album. *Stylus* unicus. *Stigmata* 2 capillaria, ferruginea.

Color totius graminis in junioribus flaveſcens, in ſenioribus ferrugineus.

In Arabia ſpecioſiſſimum hoc gramen collegit B. Prof. Forſkåhl.

Tab. VIII. fig. 2. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Radii. D. Umbella altera. E. Spicæ laterales. F. intermedia.

a. ſpicula. b. ſqvama inflexa, utraqve m. a.

51. CYPERUS Polyſtachyos, culmo triqvetro; involucro polyphyllo; panicula terminali, ſubſeſſili, ramoſiſſima; ſpicis lineari-lanceolatis, complanatis, confertiſſimis. Program. noſtr. 1772. pag. 21.

Plukenet. Tab. 416. fig. 6?

CULMUS bipedalis, & altior, triqveter, ſtriatus, flaveſcens.

FOLIA ad baſin plura, linearia, carinata, vaginis purpuraſcentia, cæterum glauca.

INVOLUCRUM. Folia 4 ad 6, lanceolato-linearia, qvorum 2 vel 3 panicula multo longiora.

OCHREÆ arctæ, baſi coccineæ, obliqve truncatæ, apice patulo utrinqve terminatæ, 2 fere lineas longæ.

PANICULA terminalis, compreſſa, ramoſiſſima, ſemicircularis fere, ſubſeſſilis, facta pedunculis plurimis, faſciculatis, mox in ramos diviſis, raro uno alteroqve ante diviſionem parum elongato.

SPICÆ confertiſſimæ, alternæ, lanceolato-lineares, acutiſſimæ, complanatæ, diſtichæ, longitudine circiter 6—8 linearum, latitudine unius lineæ; imbricatæ *Sqvamis* (XX circiter) obtuſis, glabris, dorſo ſtriatis, teſtaceis vel ferrugineis, margine atqve carina albidis.

STAMINA 3.

PISTILLUM. Germen oblongum, triqvetrum. Stylus unicus. Stigmata 3 reflexa.

SEMEN oblongum, ſubtriqvetrum, latere tertio reliqvis duplo anguſtiore.

Tab. XI. fig. 1. A. Inferior pars culmi cum radice & foliis. B. Superior nudus. C. Panicula cum involucro.

a. ſpica. b. ſqvama a latere m. a. c. a tergo. d. piſtillum. e. germen transverſim ſectum.

52. CYPERUS, culmo triqvetro; involucro tetraphyllo; panicula terminali, pedunculata; ſpicis linearibus, toroſis, confertiſſimis, patentibus. Program. noſtr. 1772. pag. 22.

Cyperus ſtrigoſus, culmo triqvetro, nudo; umbella ſimplici; ſpiculis linearibus, confertiſſimis, horizontalibus. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 69?

Cyperus rotundus, panicula ſparſa, ſpicis ſtrigoſis, ferrugineis. Sloan. Hiſt. Jamaic. Part. I. pag. 116. tab. 74. fig. 2. 3?

CULMUS ſupra nudus triqveter.

INVOLUCRUM tetraphyllum, inæqvale.

FOLIA lanceolato-linearia, glauca, inæqvalia, panicula longiora, præter minimum ipſa paulo brevius.

OCHREÆ 2—3 circiter lineas longæ, laxæ, ora ſuperiori tranſverſim truncatæ, muticæ, longitudinaliter interdum fiſſæ.

PANICULA terminalis, pedunculata. Pedunculi conferti, triqvetri, apice ramoſi, inæqvales; longiſſimis vix ſeſqviuncialibus.

SPICÆ lineares, teretiuſculæ, patentes, confertiſſimæ, diſtichæ, longitudine & latitudine ut in antecedente, imbricatæ *ſqvamis* (XX circiter) ovatis, obtuſis, dorſo ſtriatis, margine ſubſerratis, albidis, cæterum fuſcis, nitidis.

SEMEN ovatum, acute triqvetrum, æqvilaterum.

Ora & terminatione ochrearum, elongatione pedunculorum, colore atqve craſſitie ſpicarum, nec non figura ſeminis a priore, cui cæteroqvin facie ſimillimus, diſtingvitur. Craſſiora omnia atqve majora in Figura Sloanei, qvare etiam de ſynonymis meis vehementer dubito.

Experientiſſimus Königius hunc cum antecedente miſit.

Tab. XI. fig. 3. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Radii cum Ochreis.

a. ſpica. b. c. ſqvama a latere & a tergo m. a. d. piſtillum. e. germinis transverſim ſecti planum m. a.

53. CYPERUS Paniculatus, culmo triqvetro; involucro hexaphyllo, ſubæqvali; panicula ſeſſili, terminali, denſiſſima; ſpicis compreſſis, lineari-lanceolatis, paucifloris. Program. noſtr. 1772. pag. 22.

Gramen Cyperoides Americanum, ſpicis ſpecioſis plurimis compreſſis, ſummo caule absqve pediculo adnatis. Pluken. Almag. botan. pag. 127. Phytogr. tab. 91. fig. 3?

CULMUS ſpithamæus, triqveter, ſtriatus, ad baſin foliis lanceolato-linearibus, dimidio brevioribus, glabris, flaveſcentibus, cinctus, ſupra nudus.

INVOLUCRUM hexaphyllum, ſubæqvale, panicula duplo longius.

OCHREÆ truncatæ, breves.

PANICULA ſesſilis, ramoſisſima, ſpicis confertisſimis onuſta.

SPICÆ lanceolato-lineares, acutæ, 3 circiter lineas longæ, complanatæ; imbricatæ ſqvamis (X circiter) alternis, lanceolatis, obtuſis, concavis, teſtaceis; carina pallide viridibus, ſtriatis.

Creſcit

Creſcit in Suriname, unde advexit Dominus Rolander.
A C. Polyſtachio nuper deſcripto diſtinctisſimus.

54. CYPERUS Ira, culmo triqvetro, ſeminudo; umbella folioſa, decompoſita; ſpiculis alternis, granis diſtinctis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 67. Program. noſtr. 1772. pag. 20.

Gramen Cyperoides Indiæ orientalis elatius, panicula ſparſa palleſcente. Pluken. Alm. 179. tab. 101. fig. 7.

Cyperus Indicus tenuifolius, panicula ſparſa flaveſcente. Moriz. Hiſt. Pl. Part. III. §. VIII. pag. 238. No. 34.

Ira ſive Balari Rheed. Malab. Part. XII. pag. 105. tab. 56?

RADIX fibroſa.

CULMUS pedalis, ſtriatus, triqveter.

FOLIA lanceolato-linearia, ſtriata, carinata, mollia, longitudine ferme totius graminis, vaginis inferiorem culmi medietatem cingentia.

INVOLUCRUM UNIVERSALE triphyllum, umbella longius. PARTIALE ſqvamæ ſetaceæ, flexuoſæ, deciduæ, pedicillis ſubjectæ.

UMBELLA decompoſita. Radii plures, (8) patentes, inæqvales, ½ ad 3 circiter uncias longi, apice in ramos ſive rachides (5—6) diviſi, qvibus alternatim affiguntur ſpicæ.

SPICÆ pedicillatæ, lineares, compreſſæ, diſtichæ, 3 lineas longæ, imbricatæ *ſqvamis* (X) alternis, parvis, compreſſis, navicularibus, obtuſiſſimis, carina ſtriatis.

SEMEN parvum, triqvetrum, glabrum.

Color baſeos culmi & radiorum ferrugineus, culmi reliqvi & foliorum incanus; ſpicarum fulvus micans; carinæ viridis; ſeminum brunneus. Icon Horti Malabarici, ſi noſtrum ſiſtere debet, peſſima eſt.

Meum exemplar e China habui.

55. CYPERUS Santonici, paniculis ſeſſilibus & pedunculatis; ſpicis linearibus; floſculis alternis, remotis, obtuſiſſimis. Program. noſtr. 1772. pag. 19.

Cyperus Maderaſpatanus, paniculis ſemen Santonici æmulans Petiverii. Scheuchz. Agroſtogr. pag. 90. tab. IX. fig. 2?

RADICES fibroſæ, planæ, ſimplices, ferrugineæ.

CULMUS plus qvam pedalis, triqveter, tenuis, debilis, ſupra nudus.

FOLIA graminea, linearia, ſtriata, mollia, margine ſubaculeata, retrorſum ſcabra, pallide viridia; longitudine circiter culmi.

INVOLUCRUM UNIVERSALE triphyllum, inæqvale, *maximo* pedali. PARTIALIA ſqvamæ ſetaceæ ad diviſiones paniculæ.

OCHREÆ compreſſæ, obtuſe mucronatæ, ad baſin purpureæ, 3 circiter lineas longæ.

PANICULÆ (3) ſeſſiles & (2) pedunculatæ, utræqve ramulis capillaribus, alternis, varie ſubdiviſæ.

SPICÆ delicatæ, lineares, alternæ, diſtichæ, imbricatæ *ſqvamis* (XII—XVI) alternis, diſtantibus, parvis, concavis, compreſſis, obovatis, obtuſiſſimis, pallide flavis, cum carina ſubfuſca, 3 ſtriis picta.

SEMINA ferruginea, glabra, triqvetra ſine ſetis.

Tranqvebaria miſit Dominus Königius rariſſimum hunc Cyperum, qvem eundem cum Scheuchzeri allato credidi. Si qvis vero eum potius velit ad Cyperum ejus Borneacum referre, me eo minus refragantem habebit, qvo minorem inter utrumqve differentiam video.

Tab. IX. fig. 1. A. Culmi cum foliis. B. Paniculæ ſeſſiles. C. Pedunculatæ.

a. ſpicæ geminæ cum ſqvamis b. m. a.

56. CYPERUS corymboſus, involucro polyphyllo; umbella ſupra-decompoſita; pedunculis filiformibus, corymboſis, ſtrictis. Program. noſtr. 1772. pag. 19. omiſſo Synonymo.

CULMUS craſſus, triqveter, glaucus, fuſco-maculatus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia 4, lineari-lanceolata, inæqvalia, margine ſcabra, longitudine umbellæ, 2 fere lineas ad baſin lata. INVOLUCRUM PARTIALE. Sqvamæ lineari-ſetaceæ ad ramificationes umbellæ.

OCHREÆ 4 lineas longæ, ſtriatæ, obliqve truncatæ, cum obtuſiſſimo mucrone.

UMBELLA diffuſa, conſtans radiis (12—15) pluribus, ſtrictis, filiformibus, inæqvalibus, ab ½ ad 3 uncias longis, *maximis* apice corymbos, *minimis* ſpicas alternas, patentes, ferentibus.

SPICÆ tenuiſſimæ, teretes, ſubulatæ, diſtichæ, 4—5 fere lineas longæ, imbricatæ *ſqvamis* oblongis, concavis, (XII fere) dorſo teſtaceis, margine albidis.

Excluſi ſynonymon, qvia deſcriptionem Linn. in Amœnitatibus cum mea conciliare neqvivi. Exper. Dominus Königius noſtrum miſit; ſimilem involucro longiore, & ſpicis ſaturatioris ſive ferruginei coloris in Aſia invenit B. Forſkåhl.

Tab. VII. fig. 4. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Radii. D. Corymbi. E. Spicæ.

a. ſqvama a latere viſa m. a.

57. CYPERUS flabelliformis, culmo ſulcato, triqvetro; involucris alternis; pedunculis axillaribus ſolitariis, terminalibus umbellatis, corymbiferis. Progr. noſtr. 1772. pag. 22. N. 57.

CULMUS craſſus, ſuperiori parte ſulcatus, contortus, triqveter.

INVO-

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia plurima (20) alterna, pedalia, lanceolata, acutiſſima, patentia, ſtriata, ſulcata, margine & carinis retrorſum ſcabra, ſemiamplexicaulia, margine inflexa, triplici ſerie per ſeſqvipollicare ſpatium juxta latera culmi diſpoſita. INVOLUCRUM PARTIALE. Sqvamæ lanceolatæ, acutiſſimæ, concavæ, ad ortum pedicillorum.

OCHREÆ dimidiato-lanceolatæ, concavæ, obtuſæ, longitudine circiter 3 linearum, baſi breviſſima pedunculos amplexantes. ALIÆ urceolatæ, lineam unam circiter longæ, tranſverſim truncatæ, mucronatæ, pedicillos vaginantes.

PEDUNCULI triqvetri, tenues, ſtricti, ſulcati, axillares; *inferiores* remotiores, ſolitarii, longiores, (7 circiter uncias); *ſuperiores* ſenſim breviores, approximati, in umbellam ſupra-decompoſitam qvaſi coacti. Omnes folio ſuo dimidio breviores apice corymbiferi. *Pedicilli* (10) circiter, patentes, approximati, alterni, breves; apice umbellam paucorum (3—4) radiorum, patentiſſimorum, cum umbellula centrali ſeſſili formantes.

SPICÆ paucæ (4—6) ſeſſiles, oblongo-lanceolatæ, compreſſæ, diſtichæ, lineas duas ad 3 circiter longæ, in ſtellam expanſæ; imbricatæ *ſqvamis* XII vel XIV ſuboppoſitis, membranaceis, glabris, ovatis, obtuſis, concavis, cum parvo acumine carinatis.

STAMINA. Filamenta 3, membranacea antheræ cuſpidatæ.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, minimum. *Stylus* trifidus. *Stigmata* filiformia, flexuoſa, hirſuta.

Color totius graminis glaucus vel cæſius; ſpicarum albidus; filamentorum candidus; piſtillorum & antherarum ferrugineus.

Involucro polyphyllo trifariam imbricato, flabellum referente, atqve pedunculis axillaribus, ſolitariis, continua ſerie infra umbellam terminalem exeuntibus, faciem a cæteris Cyperis diſtinctiſſimam acqvirit hocce gramen, qvod in Arabia detexit beatus P. Forſkåhl.

Ob formam involucri nomen triviale mutavi.

Tab. XII. fig. 2. A. Culmus. B. Umbella cum involucris. C. Pedunculi. D. Umbella altera ſive corymbus. E. Umbella ultima. F. Glomeres ſpicarum terminalium.

a. ſpica. b. ſqvama.

CAP. V.

SCIRPUS.

Scirpi character genericus mihi eſt SPICA undiqve *ſqvamis* imbricata; cunctis (ſi, uti in Cyperis monui, inferiores 2, qvæ tunc loco involucri haberi poſſunt, in paucisſimis ſpeciebus exceperis) flores ſolitarios includentibus, atqve a proximis diſtingventibus. *Corolla* floſculis nulla. *Stamina* communiter *tria*. *Piſtillum* germen unicum, ovatum, triqvetrum vel gibbum cum ſtylo tri- vel bifido. Ad baſin vel apicem germinis ſunt *ſetæ* parcæ, breves, in paucis, abſunt in plurimis, qvi a Linnæo & recentioribus ipſum ſeqventibus ad hoc genus referuntur. Illuſtriſſimus Hallerus harum præſentia ſola noſtrum a Mariſci ſui ɔ: Schœni genere diſtingvit.

A Cypero rotunditate atqve toroſitate ſpicarum, imprimis vero imbricatura non diſticha, ſed omnigena diſtingvitur. A Schœno num & qvomodo differat, inferius diſpiciendum eſt. Difficilius a Caricibus hermaphroditis removetur, qvum capſulas vel Linnæana nectaria ſemen involventia poſteriori Generi ſoli propria non eſſe monſtrent inter noſtros Scirpi atqve Schœni non pauci, qvorum principes ſunt ei, qvi ſtylum gerunt Turriculæ vel Pyramidis ad inſtar germini impoſitum; omnes enim capſulam formant, ſemen unicum includentem. Et licet unus atqve alter caricibus commode ſatis jungi poſſit, reliqvi tamen involucris, ochreis, ſpicarum conglomeratione & toto habitu tam arcte cum Scirpis atqve Schœnis cohærent, ut avellere non auſus ſim. Omnes hujus indolis hactenus a me obſervatos, qvos ſub novo PYRGOPHORÆ Genere olim tradere conſtitui, aſteriſco hic notavi, ſyſtematicis ſortem ipſorum relinqvens.

58. SCIRPUS geniculatus, culmo tereti, nudo; ſpica oblonga, terminali. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 71. Progr. noſtr. 1772. pag. 24.

Juncus aqvaticus, geniculatus, capitulis Eqviſeti major. Sloan. Hiſt. Jamaic. Part. I. pag. 122. tab. 81. fig. 3.

CULMUS nudus, teres, altus, farctus, ſiccitate collabeſcens, articulatus, glaberrimus, ſubtiliſſime ſtriatus, coloris infra glauci, apicem verſus ferruginei, craſſitie pennæ circiter cygneæ.

SPICA

SPICA terminalis, cylindrica, vix in noſtra pollicaris, craſſitie pennæ anſerinæ, denſiſſime imbricata *Sqvamis* membranaceis, oblongis, carinatis, teſtaceis; ſtaminibus atqve ſtylis ferrugineis, longiſſimis, hiſpida.

INVOLUCRUM. Sqvamæ 4 ovatæ, obtuſæ, parvæ, ad baſin ſpicæ.

Inter plantas Surinamenſes Rolandri habui.

59.* SCIRPUS ſpiralis, culmis aggregatis, ſubnudis, triqvetris; ſpica cylindrica, terminali; floſculis cuneiformibus, truncatis, ſpiraliter diſpoſitis.

Scirpus mutatus, culmo triqvetro, nudo; ſpica cylindrica, terminali. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 71?

STOLONES repentes, cylindrici, ſubnudi, ad nodos culmiferi, radicati.

CULMI ex uno nodo plures, fungoſi, tumidiuſculi, rugoſi, triqvetri, ſeſqvipedales, ſtriati, ad tertiam partem vaginis longis, qvæ apice mucrone brevi ovato terminantur, obducti, ſuperius nudi.

SPICA terminalis, ſeſqvipollicaris, undiqve imbricata, cylindrica, penna anſerina craſſior, ad baſin ſqvama truncata, obtuſiſſima, juxta 2 culmi latera obvoluta.

SQVAMÆ cuneiformes, apice latiſſimæ, recte truncatæ, glabræ, ſubſtriatæ, plicatæ, in ſeries obliqvas ſpirales diſpoſitæ.

STAMINA. *Filamenta* intra ſqvamam ſingulam tria, linearia, membranacea, tenuiſſima, longiſſima. *Antheræ* lineares.

PISTILLUM. *Germen* gibbum, ſubtriqvetrum, glabrum, punctatum, marginatum, baſi ſetis paucis (3), dimidio brevioribus, cinctum. *Stylus* unicus, planus, turriculæ ad inſtar, germini impoſitus. *Stigmata* 3, filiformia, flexuoſa, hirſuta.

PERICARPIUM ſubtriqvetrum gibbum, ſemen unicum continens.

Culmi glauci, baſi purpuraſcentes. Spicæ albidæ. Margines ſqvamarum teſtacei. Filamenta candidiſſima. Setæ, Antheræ & Stigmata ferruginea.

Anno 1772 poſt editum programma, a Diligentiſſimo Domino Königio, cui tot alia debeo, rariſſimum hunc ſcirpum e Malabaria miſſum accepi.

Tab. XV. fig. 1. A. Stolones cum radicibus. B. Culmi foliis obvoluti. C. Culmi nudi. D. Spicæ.
a. Sqvama. b. Stamina. Piſtillum. Setæ.

60. SCIRPUS plantaginoides, culmis ventricoſis, ſulcatis, nudis; ſpica cylindrico-ſubulata, terminali; floſculis oblongis, carinatis.

CULMI ventricoſi, teretes, geniculati, ſulcati, ſimpliciſſimi, ſupra nudi.

SPICA 2- & tripollicaris, cylindrica, ſubulata, terminalis, undiqve SQVAMIS oblongis, carinatis imbricata; ad baſin *ſqvama* breviſſima, truncata, antecedentis in modum obvoluta.

STAMINA. *Filamenta* 3 membranacea, tenuiſſima, longiſſima, linearia. *Antheræ* lineares, longæ.

PISTILLUM. *Germen* tenue. *Stylus* longitudine ſtaminum planus. *Stigmata* 3 filiformia, flexuoſa, hirſuta.

Color graminis glauco-viridis. Sqvamarum albidus, dorſo vireſcens, margine teſtaceus. Filamentorum & germinis candidus. Styli & Antherarum ferrugineus.

Priori facie ſimillimus, licet coordinatione & forma ſqvamarum diſtinctiſſimus.

Miſſus cum priore a Domino Königio.

Tab. XV. fig. 2. A. Culmus. B. Spica.
a. ſqvama.

61.* SCIRPUS bulboſus, radice bulboſa; ſcapis teretibus, canaliculatis; foliis ſetaceis, rigidis; ſpica cylindrica, terminali. Program. noſtr. 1772. pag. 25.

Scirpus trigynus, culmo tereti nudo, ſpica cylindrica, ſqvamis lanceolatis latere membranaceis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 180?

RADIX bulboſa, ſqvamis vel membranis ferrugineis, ſtriatis, obducta.

CULMI pedales, ſimpliciſſimi, teretes, canaliculati, juncei, tenaces, ſtricti.

FOLIA ad radicem plura, faſciculata, ſetacea, dura, flexuoſa, ſicca, vix ½ culmi longitudine.

VAGINÆ membranaceæ, tenuiſſimæ, undulatæ, laceræ, albæ, culmos & foliorum faſciculos cingentes.

INVOLUCRUM. Folia bina ad baſin ſpicæ cæteris longius acuminata; acumine altero incurvo longitudine ſpicæ; altero recto, paulo breviori.

SPICA cylindrica, uncialis & longior, terminalis, undiqve imbricata SQVAMIS oblongo-lanceolatis, nigris, ſtriatis; carina in acumen ſubulatum producta.

STAMINA. *Filamenta* intra ſqvamam ſingulam 3, membranacea, plana, hirta.

PISTILLUM. *Germen* obovatum, planum, incurvum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3 cirroſa.

PERICARPIUM. Capſula oblonga, ſemen unicum oblongum in centro continens.

In Promontorio Capitis bonæ ſpei legit Dominus Königius.

Tab. XVI. fig. 2. A. Bulbus. B. Vaginæ. C. Folia. D. Culmi. E. Spicæ.
a. piſtillum, cujus intra germen pellucet ſemen immaturum.

62. SCIRPUS Caribæus, culmis faſciculatis, ſetaceis, ſulcatis, triqvetris; ſpica minima, ovata, terminali. Program. noſtr. 1772. pag. 24.

Scirpus capitatus, culmo tereti, nudo, ſetiformi; ſpica ſubgloboſa, terminali. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 70?

Juncus

Juncus aqvaticus capitulis eqviſeti minimis. Sloan. Hiſtoria Jamaic. pag. 122.

RADICES deſcendentes, fibroſæ, ferrugineæ.

CULMI ceſpitoſi, faſciculati, ſimplices, ſetacei, ſulcati, nudi, triqvetri, ſiccitate collapſi & ſubarticulati, palmares circiter, coloris e viridi flaveſcentis.

VAGINÆ ſurgentis culmi binæ; *Superior* uncialis, acumine parvo terminata; *Inferior* triplo brevior, ſubmutica. Utraqve ad baſin purpurea, ad apicem flaveſcens.

SPICA terminalis, ovata, minima, undiqve imbricata SQVAMIS minimis, oblongis, concavis, glabris, ferrugineis vel teſtaceis, carina atqve margine albis; binis inferioribus ſterilibus.

STAMINA. *Filamenta* 3 brevia. *Antheræ* ſubulatæ.

PISTILLUM. *Germen* minimum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 2 plumoſa.

Setæ paucæ germen cingentes longitudine piſtilli.

Antheræ & Stigmata ferruginea.

Ex inſula Caribæa St. Crucis miſerunt Nobiliſſimus Centurio de Rohr & B. Faber.

Tab. XV. fig. 3. A. Culmi inferiores cum radicibus. B. Culmi ſuperiores. C. eidem abrupto capitulo mutilati. D. Capitula.
a. Capitulum m. a.

63. SCIRPUS ſetaceus, culmo nudo, ſetaceo, ſpicis lateralibus, ſubſolitariis, ſeſſilibus. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 73.

α. Scirpus, culmo nudo, capillari; foliis anguſtiſſimis; ſpica ſolitaria minima, involucro longitudine ſpicæ monophyllo mucronato. TAB. XV. fig. 4.

Cyperus culmis ſetaceis, ſpica minima, ovata; involucro monophyllo, mucronato, nutante. Program. noſtr. 1772. pag. 16.

Scirpus ſetaceus. Linn. Mantiſſ. Alter. pag. 321.

Scirpus, culmo nudo, ſetaceo, ſpica ſolitaria ſubtriflora. Manuſcr. König.

β. Scirpus, culmo nudo ſetaceo, ſpicis terminalibus ſubternis, involucro longitudine ſpicæ, monophyllo, mucronato. Tab. XV. fig. 5.

Gramen Junceum perpuſillum, capillaceis foliis, Æthiopicum. Pluken. Almag. 179. tab. 300. fig. 5.

Juncellus perpuſillus, Æthiopicus, capillaceus, capitulis, ut plurimum ternis, ſeſſilibus. Morizon. Hiſtor. Plant. Part. III. §. 8. pag. 233.

Cyperus minimus, culmo tereti, nudo; ſpicis ſub apice. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 66. excluſo Synonymo Sloanei.

γ. Scirpus culmo nudo, ſetaceo, ſpicis ſubſolitariis, ſeſſilibus, mucrone longiori. Tab. XV. fig. 6.

Gramen Junceum, minimum, capite ſqvamoſo. C. B. Pin. Prodr. pag. 13.

Juncellus omnium minimus. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. 8. pag. 232. Tab. 10. fig. 23.

Scirpus omnium minimus, capitulo breviore. Scheuchz. pag. 358.

Mariſcus ſetaceus, capitulis lateralibus, pauciſſimis. Haller. Hiſtor. Stirp. Helvet. Tom. II. pag. 180. N. 1345. Emendat. III. N. 164.

δ. Scirpus culmo tereti, nudo; ſpicis ſeſſilibus, in medio culmo glomeratis. Linn. Sp. Plant. Part. I. pag. 73.

RADICES plurimæ, faſciculatæ, capillares, flexuoſæ, ferrugineæ.

CULMI plures, digitales, flexuoſi, ſetacei vel capillares, ſupra nudi.

VAGINÆ infimi culmi binæ; SUPERIOR vix uncialis, folio lineari, ſetaceo, longitudinis admodum diverſæ, terminata. INFERIOR duplo brevior, obtuſa, ut plurimum mutica.

SPICA lateralis, ſubſolitaria (1. 2. 3) ovata, compreſſa, minima; imbricata SQVAMIS numero admodum diverſis, oblongis vel oblongo-ovatis, concavis, ſtriatis, carinatis.

INVOLUCRUM. Folium unicum, oblongo-lineare, concavum, ex apice culmi productum, ſpicam amplexans; acumine ſetaceo, ſtricto, variæ longitudinis, terminatum.

STAMINA. *Filamenta* 3, membranacea.

PISTILLUM. *Germen* ratione floris magnum, triqvetrum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3, reflexa.

Color carinæ pallide viridis; Sqvamarum, Filamentorum, Stylorum ferrugineus; Germinis albus.

Ter repetitus inter Linnæanos, ſi qvid video, reperitur. Teneritate & magnitudine culmorum, longitudine involucri, craſſitie atqve numero ſpicarum, ut & ſqvamarum has componentium, ratione ætatis & ſoli admodum variat. Qvum ſqvamæ ſpicarum ſuperiores ſint diſtichæ; inferior modo una & altera transverſa, ſiccatus atqve inter chartas compreſſus facile pro Cypero habetur. Anno 1760 in excurſione botanica, cum Illuſtriſſimo Bernh. Juſſieuo & reliqvis jucundiſſimi itineris ſociis, circa Lutetiam Pariſiorum varietatem β optime figuræ Plukenetii, cui ſoli nititur Cyperus minimus Linn. (qvum Sloanei figura ad plantam multum diverſam pertinere videatur) congruentem legi. Ibidem etiam varietatem γ, præterea circa Hafniam a noſtro Königio lectam, cujus involucrum, figuræ Morizoni optime reſpondit, inveni. Ubi Culmus huic pygmæus, mucro paulo longior atqve ſpicæ (2—3—4) plures. Scirpi ſupini Linnæi atqve Turnefortii characteribus in omnibus ſatisfacit. Varietatem α omnium tenerrimam e capite B. Spei miſit toties laudatus Königius, apud fontes intra valles montium creſcere ſcribens; numeravit ille in ſpica communiter flores III, uti Hallerus in ſuo Mariſco 1345. In ſpicis vero, qvas evolvi, Capenſium, ego multo plures, VI. ſc. ad XI. & in Gallicis atqve noſtris adhuc plures inveni; qvæ Hallerianis ſic in Actor. Helveticor. Vol. 5. pag. 59. No. 164. deſcriptis ſatis bene reſpondent, qvas valde multifloras eſſe hoc loco monuit Illuſtriſſimus Author.

Tab. XV. fig. 4. 5. 6. A. Culmi *inferiores* cum radicibus & foliis. B. Superiores, integri, nudi. C. Mutilati. D. Spicæ.
a. ſpica ſolitaria cum involucro. b. ſpicæ nudæ.

64. SCIRPUS triſtachyos, culmo nudo ſetaceo; ſpicis ternis, ſeſſilibus; involucro diphyllo. Program. noſtr. 1772. pag. 25.

Scirpus

Scirpus culmo teretiuſculo, ſeminudo; ſpicis capitatis, ſeſſilibus; involucro diphyllo, ſetaceo. Fl. Zeil. Linn. pag. 16. No. 39.

Gramen puſillum, junci capitulis minimis, ad baſin foliolis binis acutis. Buurm. Theſaurus Zeil. pag. 108. tab. 47. fig. 2. excluſis Synonymis.

Ad hunc etiam refero Gramen Cyperoides, capillaceis foliis, puſillum, ex Inſula Cheuſan. Plukenet. tab. 417. fig. 8.

RADIX fibroſa, flexuoſa, ferruginea.

SCAPI plures, faſciculatim aggregati, palmares & dodrantales, flexuoſi, ſtriati, ſetacei.

FOLIA ad baſin culmi plura, faſciculata, ſetacea, duriuſcula, culmo breviora, baſi vaginis membranaceis albeſcentibus naſcentem ſcapum veſtientia.

INVOLUCRUM diphyllum baſi lateſcens, mucronatum. Folium ſuperius erectum ſpicis tri- & qvatruplo longius; inferius patulum vel reflexum aliqvanto brevius.

SPICÆ in junioribus 3 vel 4, in provectioribus plures, ſeſſiles, oblongo-ovatæ, obtuſæ, parvæ, undiqve imbricatæ *Sqvamis* floriferis, ovatis, obtuſis, concavis, carinatis, ſtriatis, ferrugineis.

STAMINA 3.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, oblongum, imberbe. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3 cirroſa.

Habitus durus & ſiccus; Color pallide viridis, ætate ferrugineus. Characteri & deſcriptioni, qvibus illuſtriſſimus Linnæus in Flora Zeilanica Scirpum 39, capillarem poſtea dictum, olim conſtituit, apprime reſpondet noſtra planta, qvam e Capite B. Spei miſit Dominus Kœnigius; nec, ſi teneritatem majorem & longitudinem involucri exceperis, refragatur figura Buurmanni in Theſauro Zeilanico, ut, etſi cum deſcriptione conſummatiſſimi Botanici meam, qvoad fructificationis partes, conciliare in omnibus neqveo, eandem tamen credam eſſe plantam. Rem plane conficit Hermanni herbarium, qvod a Poſſeſſore defuncto Gunthero dudum in Bibliothecam Excellentiſſimi Comitis de MOLTKE migravit; ibi enim in Tomo IV. Capenſes & Zeilanicas mixtas juxta Præfamen Linn. ad Floram Zeilanicam pag. 18. continente reperitur hoc gramen cum nomine & numero Scirpi 39, ipſius Linnæi manu adſcripto, qvi reſpondet eidem Floræ Zeilanicæ numero pag. 16. In ſpecimine hujus Herbarii, ut & meis a Königio miſſis omnibus, involucrum ſemper eſt diphyllum, ſpicæqve omnes ſeſſiles, qvæ, qvum contraria ratione ſe habeant in ea, qvam pro capillari jam deſcripſit Linnæus in Mantiſſa altera, diverſa videtur planta. In Scirpi *ſetacei* 63 varietate *β*, qvi huic alias valde affinis eſt, ſpicis lateralibus ſæpe decidunt inferiores ſqvamæ, qvo fit, ut calvæ rachides pedicillos mentiantur parvos, reſpondeantqve ſic omnia deſcriptioni Sc. *capillaris* in altera Mantiſſa.

Tab. XIII. fig. 4. A. Culmi baſes cum radicibus & foliis. B. Culmi nudi, vitio Chalcographi juſto craſſiores. C. Spicæ cum involucro. a. ſpica m. a.

65. SCIRPUS, culmo ſetaceo, triqvetro; capitulis ſubternis, ſeſſilibus, ſqvarroſis; involucro diphyllo, ſtricto. Program. noſtr. 1772. pag. 28. ſub nomine Scirpoidis ſqvarroſi.

Scirpus ſqvarroſus, culmo triqvetro, nudo, ſetaceo; ſpicis ternis, ſeſſilibus, ovatis, ſqvarroſis. Linn. Mantiſſ. altera 181.

Gramen Cyperoides orientale perpuſillum, capitulis ſubrotundis, hiſpidis, plerumqve gemellis. Vanamalleecodde Malabarorum. Plukenet. Mantiſſ. pag. 98. tab. 350. f. 6.

Gramen Cyperoides Cheuſanenſe tricephalon, globulis echinatis. Pluken. Amalth. Botanic. pag. 112?

Gramen junceum minus Indicum, ſpicis ternis tumidioribus ſeſſilibus. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 227. N. 9.

Motta-Pullu Rheed. hort. Malab. Part. XII. tab. 38. pag. 72.

RADIX faſciculata, fibroſa, fibris albicantibus, flexuoſis.

CULMI plurimi, teneri, triqvetri, ſtricti, glauci, a dimidia digiti ad magnitudinem fere palmæ.

FOLIA ad radicem plura, ovato-lanceolata, obtuſa, ſtriata, uncialia, purpuraſcentia, culmos ſingulos diſtingventia. *Caulinum* unicum vagina unciali baſin culmi ambiens, lineari-ſetaceum, colore & longitudine fere ipſius culmi.

INVOLUCRUM diphyllum, breve, inæqvale; *Foliolo uno*, ſetaceo, incurvo, ſtricto, ex apice culmi producto; *altero* inferiori, reflexo, triplo fere minori; raro præter hæc unum alterumqve foliolum laterale minus.

CAPITULA communiter 3, interdum 4, rarius 1 vel 2 ſeſſilia, parva, ſqvarroſa, cylindrica, imbricata *Sqvamulis* minutiſſimis, ovatis, baſi coccineis, cum acumine ſubulato, recurvo, luteo vel flaveſcente, ipſi ſqvamæ æqvali.

STAMINA. *Filamentum* intra ſqvamam ſingulam 1 (rarius 2) breve, planum, ſupra latius. *Anthera* oblongo-linearis ſulcata.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, nudum. *Styli* 2 breves, recurvi. *Stigmata* ſimplicia.

Figuræ Plukenetii & Horti Malabarici peſſimæ; ſtaminum numero, imprimis vero ſtylis, a cunctis ſe diſtingvit ſcirpis, cum qvibus tamen potius conjungere qvam Genera multiplicare amo. Cum optima deſcriptione hunc e Malabaria miſit nunqvam ſatis laudandus Dominus Königius.

Tab. XVII. fig. 5. A. Culmorum baſes cum radicibus. B. Folia. C. Culmi. D. Capitula e ſpicis ternis. E. e ſpicis duabus. F. e ſpicis 4 compoſita. G. Spica ſolitaria.

a. ſpica. b. ſqvama. c. piſtillum. d. anthera.

66. SCIRPUS monander, culmo ſetaceo; involucro triphyllo, longo; Capitulo ſeſſili, glomerato; floſculis monandris.

Cyperus Maderaſpatanus, ſpicis plurimis ſummo caule in orbem congeſtis. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 238. No. 35?

Gramen Cyperoides Maderaſpatanum, ſpicis plurimis apicibus obtuſis, ſummo caule in orbem congeſtis. Pluken. Almag. botan. pag. 178. Tab. 192. fig. 4?

RADICES

RADICES fibroſæ, flexuoſæ, ſimplices, ferrugineæ.
CULMI plures, palmares, ſetacei, triqvetri, glauci.
FOLIA lineari-ſetacea, mollia, culmo, cujus baſin vaginis membranaceis, albis, ambiunt, breviora.
INVOLUCRUM triphyllum, inæqvale, patens, capitulo triplo longius.
CAPITULUM ſeſſile, *ſpicis* undiqve imbricatis, teretibus, 3 lineas circiter longis, glomeratum.
SQVAMÆ omnes floriferæ, parvæ, lanceolatæ, obtuſæ, concavæ.
STAMEN unicum.
PISTILLUM. *Germen* turbinatum, candidum, gibbum. *Stylus* planus, germini pyramidis ad inſtar impoſitus. *Stigmata* 2 capillaria, recurva.
FRUCTUS an capſula?

Hic noſter, Kyllinga Monocephala & Cyperus dubius culmo, foliis, involucris, & toto habitu exacte conveniunt, licet fructificatione maxime differant. Miſſus æſtate Anni 1772 e Malabaria a Domino Königio.

Tab. XIV. fig. 3. A. Culmi cum radicibus & foliis. B. Spicarum glomer cum involucro.
a. ſpica cum b. ſqvama m. a.

67. SCIRPUS argenteus, culmis ſetaceis, triqvetris; involucro tetraphyllo, longiſſimo; ſpicis cylindricis, plurimis, in Capitulum glomeratis. Program. noſtr. 1772. pag. 27.

Gramen Cyperoides, Maderaſpatanum, panicula compactiore, ſummo caule, trium foliorum in ſinu ſeſſili. Plukenet. Amalth. Botanic. pag. 111.
Mullen-pullu Hort. Malab. Part. XII. tab. 54. pag. 101.
Gramen junceum, minus, Indicum, ſpicis plurimis, parvis, in capitulum digeſtis. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 227. N. 8.
Scirpus minimus, capillaceo folio, Maderaſpatanus, capitulo parvo. Scheuchz. Agroſtog. pag. 370.

RADICES fibroſæ, ſimplices, fuſcæ.
FOLIA plurima, faſciculatim in ceſpitem congeſta, ad baſin ovato-lanceolata, imbricata, pallide ferruginea; ſupra convoluto-ſubulata, ſtriata, glauca, culmis fere æqvalia.
CULMI plurimi, ſetacei, triqvetri, ſtriati, glauci, faſciculis foliorum circumſepti, 1—4 uncias longi.
INVOLUCRUM. Folia communiter 4, convoluto-ſubulata, rigida, patentia, vel reflexa, inæqvalia, *maximis* culmos fere æqvantibus.
SPICÆ plurimæ (20—25) cylindricæ, vel oblongæ, parvæ (2 lin.) in capitulum congeſtæ, imbricatæ *Sqvamis* floriferis, ovatis, acutis, argentei coloris, cum ſtriis ferrugineis intermixtis.
RTAMINA. *Filamenta* 3 plana, brevia. *Antheræ* longæ, lanceolato-lineares.
PISTILLUM. *Germen* triqvetrum ſine ſetis. *Stylus* apici Germinis turris in modum impoſitus, hiſpidus. *Stigma* bifidum, hirſutum.

FRUCTUS an capſula?

In Miſſionis Malabaricæ Herbario antiqvo a tineis & blattis fere devaſtato hoc gramen inveni.

Tab. XVII. fig. 6. A. Baſes Culmorum cum radicibus. B. Folia. C. Culmi. D. Capitula.

a. ſpica. b. ſqvama. c. floſculus.

68. SCIRPUS barbatus, culmo triqvetro; vaginis ſuboppoſitis, ora ſuperiori barbatis; capitulo terminali, ſubrotundo, polyſtachyo. Progr. noſtr. 1772. pag. 27.

Scirpus parvus Maderaſpatanus, capitulo glomerato fuſco. Scheuchz. Agroſtogr. pag. 370.

Gramen junceum, parvum, ſupinum, ſive Holoſteum, ſtrictiſſimis & hirſutis foliis, Maderaſpatanum. Plukenet. Almag. Botanic. 179. tab. 299. fig. 3.

Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 229. N. 24.

RADICES fibroſæ, ferrugineæ, deſcendentes.

CULMI plurimi, faſciculati, ſetacei, proſtrati, triqvetri, ſubnudi, palmares & dodrantales.

FOLIA ad radicem 2 vel 3, ſetacea, 1 vel 1½ pollicem longa, ad baſin vaginas formantia.

VAGINÆ ſuboppoſitæ, compreſſæ, ſtriatæ, flaveſcentes, longitudinaliter fiſſæ, ora ſuperiori utrinqve faſciculo pilorum barbatæ.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia 4 vel 5 ſetacea, longitudine circiter capituli. *Proprium* ſqvama minima, obovata, mucronata, ciliata, ad baſin ſpicarum.

CAPITULUM ſubrotundum, ſqvarroſum, e *Spicis* plurimis, 3 circiter lineas longis, tetraqvetris, in faſciculum collectis; omnes undiqve imbricatæ *ſqvamis* fertilibus, compreſſis, navicularibus, cum acumine carinatis, purpureis; carina, marginibusqve albis.

STAMINA. *Filamenta* 3, plana, brevia. *Antheræ* lineari-lanceolatæ, incumbentes.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, imberbe. *Stylus* unicus. *Stigma* trifidum.

In Miſſionis herbario inveni.

Tab. XVII. fig. 4. A. Baſes culmorum cum radicibus. BB. Folia cum pilorum faſciculis. C. Culmi. D. Capitula.

a. ſpica. b. ſqvama a tergo. c. a latere. d. floſculus.

69.* SCIRPUS nodoſus, culmo compreſſo, nodoſo; capitulo glomerato, mucronato. Program. noſtr. 1772. pag. 24.

Scirpoides acutum maritimum capitulo glomerato, ſolitario. Scheuchz. Agroſtogr. pag. 373. Tab. VIII. fig. 6?

Herbarium

Herbarium Zeilanic. Hermanni Tom. IV. pag. 27. hunc, cum adſcripto nomine *Junci*, ſine numero Floræ Zeil. Linnæi reſpondente habet.

CULMUS ſimplex, nudus, levis, compreſſus, farctus, ſiccitate contractus & nodoſus, ſtriatus, ſubtriqveter, tortus, apice in acumen ſubulatum, ſtrictiſſimum, productus.

CAPITULUM magnum, pollicis diſtantia ſub apice culmum inæqvaliter cingens, glomeratum *Spicis* innumeris, ovatis, acutis, ferrugineis, ſeſſilibus.

SPICÆ oblongæ, imbricatæ *Sqvamis* lanceolatis, obtuſis, concavis, carinatis; cunctis fertilibus.

STAMINA. *Filamenta* 3 plana. *Antheræ* lineares.

PISTILLUM. *Germen* obovatum, ſubtriqvetrum, nudum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3, cirroſa.

PERICARPIUM. Capſula triqvetra, ſemen unicum continens.

Icones & deſcriptiones Authorum a Sc. Romano, cui ſtructura proximus, diverſum monſtrant. Per Dominum Königium e Capite bonæ ſpei habui.

Tab. VIII. fig. 3. A. Culmus. B. Capitulum. C. Mucro.
a. ſpica. b. floſculus.

70. SCIRPUS articulatus, culmo tereti, nudiuſculo, ſemi-geniculato; capitulo glomerato, laterali. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 70. Program. noſtr. 1772. pag. 23.

Tſieli, Rheed. Hortus Malabaricus Part. XII. pag. 135. tab. 71.

Juncus Indicus major, ſtylis geniculatis. Moriz. Hiſtor. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 231. N. 3.

CULMUS altus, craſſus, teres, nudus, ſiccitate collapſus, ſubtiliter ſtriatus, flaveſcens, nitidus, infra lævis, ſupra geniculatus.

CAPITULUM laterale, ſeſſile, magnum, nudum, conſtans *Spicis* plurimis, ovatis, acutis, baſi turgidis, magnis; imbricatis undiqve *Sqvamis* magnis, membranaceis, ovatis, acutis, concavis, ſtriatis, teſtaceo & purpureo ſive ferrugineo colore variegatis, carina viridibus.

STAMINA. *Filamenta* 3 membranacea.

SEMEN magnum, triqvetrum, glaberrimum, fuſcum, ante maturitatem candidiſſimum.

In Malabaria hunc Expertiſſimus Dominus Königius, & in oriente B. Prof. Forſkåhl collegit.

71. SCIRPUS Capenſis, ſcapis, foliisqve ſetaceis, baſi alatis; capitulis glomeratis, per bracteas ſetaceas interſtinctis. Progr. noſtr. 1772. pag. 25.

Schœnus bulboſus, culmis triqvetris, nudis; florum glomeribus alternis, foliis lineari-filiformibus. Linn. Mantiſſ. altera pag. 178.

RADIX bulboſa, radiculas fibroſas, capillares, fuſcas, emittens.

STOLONES repentes, compreſſi.

SCAPI plurimi, ſetacei, compreſſi, ſtricti, teretes, ſtriati, pallide virides, palmares & ſpithamæi.

FOLIA ad radicem plura, canaliculato-ſetacea, ſtricta, longitudine vix ſcapi, inferius ala membranacea, alba, undulata aucta.

CAPITULA ovata, parva, ferruginea vel fuſca, ad apicem ſcapi alternatim in glomeres congeſta, infimo ſæpe remotiore.

BRACTEÆ ſetaceæ, foliis ſimiles, ſed breviores, florum glomeres diſtingventes.

SPICÆ compreſſæ, ſubtriqvetræ, uno latere undiqve, oppoſito diſtiche imbricatæ; cunctæ ovatæ, breves, glabræ, conſtantes *Sqvamis* ovatis vel oblongo-ovatis, carina acuminatis, ferrugineis, margine membranaceo, ſcarioſo, albido; *infimis* duobus brevioribus, ovatis, inanibus.

STAMINA. *Filamenta* 3 membranacea. *Antheræ* cuſpidatæ.

PISTILLUM. *Germen* oblongum, planum, imberbe. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3 cirroſa.

Cum Sc. (61) cui habitu ſimillimus, e Capite bonæ ſpei a Domino Königio miſſus.

Tab. XVI. fig. 3. A. Culmi infimi. B. Stolones. C. Alæ foliorum. D. Folia. E. Culmi nudi. F. Involucra. G. Spicarum glomeres. a. Spica ab uno. b. ab altero latere. c. Sqvama.

72.* SCIRPUS, capitulo terminali, glomerato, ſubnudo. Progr. noſtr. 1772. pag. 27.

Scirpus Hottentottus, culmo triqvetro, folioſo; capitulo ſubgloboſo; ſqvamis lanceolatis, hirtis. Linn. Mantiſſa altera pag. 182?

CULMUS ſimplex, 2- & 3- pedalis, procumbendo radices agens, ſtriatus, triqveter, geniculatus, geniculis infimis approximatis.

FOLIA alterna, palmam transverſam remota, lineari-lanceolata, ſtriata, teſtacea, longitudine internodiorum.

VAGINÆ tumidæ, hiſpidæ. *Membrana oris* breviſſima, ferruginea.

INVOLUCRUM nullum præter bracteam oblongam, muticam, ſpiculæ ſingulæ ſubjectam.

CAPITULA plura (8), craſſa, ovata, obtuſa, brevia, in glomerem collecta, imbricata *Sqvamis* oblongis, ferrugineis, ſtriatis, hirſutiſſimis, cunctis fertilibus; carina in aculeum ſubæqvalem producta.

STAMINA. *Filamenta* 3 linearia. *Antheræ* lineares, medio ſulcatæ.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, angulis & baſi hirſutum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3, reflexa.

PERICARPIUM. Capſula triqvetra, acuminata, trivalvis, ſemen unicum, triqvetrum, continens.

Si Caricibus qvis jungere velit, non refragabor. Dominus Königius e Capite bonæ ſpei miſit.

Tab.

Tab. XVI. fig. 4. A. Culmus. B. Vagina, Folio terminata. C. Culmus e ſupremi folii vagina exiens. D. Capitula.

a. Bractea mutica ſpicæ ſubjecta. b. Sqvama. c. Floſculus. e. valvulæ 3 pericarpii. d. Semen incluſum.

73.* SCIRPUS, pedunculis lateralibus & terminalibus, multifloris; ſpicis oblongis, hirſutiſſimis; ſqvamis tricarinatis, ariſtatis. Progr. noſtr. 1772. pag. 26.

Scirpus ciliaris, culmo triqvetro, folioſo; umbellis ſparſis; ſqvamis calycinis, ariſtis ciliatis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 182?

Gramen Cyperoides Indiæ orientalis, foliis hirſutis, pubeſcentibus, intervallata panicula pulcra. Poonarrepille Malabarorum. Pluken. Mantiſſa pag. 97. tab. 417. fig. 6.

CULMUS triqveter, piloſus, tenuis, ſimplex.

FOLIA alterna, caneſcentia, lineari-lanceolata, mollia, ſtriata, hiſpida, ciliata, baſi vaginantia.

VAGINÆ ſubtumidæ, fiſſæ, marginibus piloſæ, cum *membrana oris* breviſſima, truncata, ferruginea.

PEDUNCULI terminales & axillares, breves, multiflori (5—6).

SPICÆ alternæ, oblongæ, hirſutiſſimæ, pallide virides, ſeu incanæ, 3 lineas circiter longæ, imbricatæ *Sqvamis* oblongis, tricarinatis, ariſta ipſis æqvali, piloſiſſima, molli, terminatis.

STAMINA. *Filamenta* intra ſqvamam ſingulam 3, membranacea.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, nudum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3 reflexa.

PERICARPIUM. Capſula trivalvis, triqvetra, ſemen unicum continens.

Bractea ſetacea ſpicæ ſingulæ ſubjecta.

Miſit Dominus Königius hunc, qvi Caricibus ſatis commode annumerari poteſt.

Tab. XVII. fig. 1. A. Culmus. B. Vagina; Membrana oris; Folium. C. Pedunculus axillaris. D. Terminales.

a. ſqvama. b. partes fructificationis. c. valvula pericarpii. d. ſemen. e. ejus ſegmentum transverſum.

74. SCIRPUS prolifer, culmo tereti, compreſſo, nudo; capitulis glomeratis, nudis, tandem proliferis. Progr. noſtr. 1772. pag. 25.

CULMI procumbentes, ſtriati, teretes, compreſſi, nudi.

SPICÆ terminales, lineari-lanceolatæ, initio pauciores, tandem plurimæ in *Capitulum* collectæ; imbricatæ *Sqvamis* fertilibus, obtuſis, lanceolatis, ſtriatis, ferrugineis cum punctis coccineis intermixtis; ſqvama minima, obtuſa, ovata, concava, capitulum loco involucri fulciente.

PEDUNCULI vel potius *RAMI* plures, faſciculati, ex apice culmi inter ſpicas adultioris capituli prorumpentes; ſinguli capitulo ſolitario terminati, cujus inter ſpicas ſimili ratione faſciculatim progerminat nova proles.

OCHREÆ ſtriatæ, coccineæ, obtuſæ, mucronatæ, unciæ dimidiæ vel fere integræ longitudine, baſes ramorum vaginantes.

STAMINA non mihi viſa.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, ſine ſetis. *Stylus* unicus. *Stigma* trifidum.

In promontorio Cap. b. ſpei ad radices montis Leonis in Udis a Domino Königio inventus eſt.

Tab. XVII. fig. 2. A. Culmus. B. Capitulum. C. Radii fertiles. D. Steriles. Utriqve ad baſin ochreati. E. Capitula terminalia.

a. ſpica. b. ſqvama. c. piſtillum. d. germinis ſegmentum.

75. SCIRPUS dipſaceus, culmis ſetaceis; umbella ſimplici; capitulis oblongis, ſqvarroſis; floſculis ſubulatis, recurvis, diandris, germine echinato.

RADIX fibroſa, ferruginea.

CULMI plurimi, ſetacei, ſtriati, triqvetri, digitales, ſupra nudi, ad baſin vaginis purpuraſcentibus, acumine ſive foliolo breviſſimo terminatis, cincti, atqve a ſociis diſtincti.

INVOLUCRUM. Folia (3—4) baſi lata, concava, apice ſubulata, umbella ipſa breviora.

UMBELLA terminalis, ſimpliciſſima, cum Capitulo intermedio ſeſſili. *Radii* pauci (2—6) incurvi, triqvetri, breves, longitudine circiter ½ unciæ.

CAPITULA parva, oblonga, teretia, ſqvarroſa, ſolitaria, radios terminantia, denſiſſime imbricata *Sqvamis* baſi membranaceis, concavis, ovatis, carinatis; apice ſubulato, recurvo, longo.

STAMINA. *Filamenta* intra ſingulam ſqvamam 2 juxta Königium.

PISTILLUM. *Germen* lineare, incurvum, gibbum, concavum, ferrugineum, margine utroqve ſpinulis ciliatum. *Stylus* tenuis, ferrugineus. *Stigmata* 2 capillaria, recurva.

Sqvamarum Color albidus; carinæ & apicis viridis.

Elegantiſſimum hunc Scirpum, antecedenti (65) habitu ſimilem, at multis notis, imprimis vero Germine ſingulari diſtinctiſſimum, præterlapſa æſtate cum reliqvis ſupra relatis ab indefeſſo noſtro Königio e Malabaria accepi.

Tab. XII. fig. 1. A. Culmi baſes cum radicibus & foliis. B. Summitates nudæ. C. Umbella. D. Capitula.

a. Sqvama. b. Piſtillum.

76. SCIR-

76. SCIRPUS dichotomus, culmo triqvetro, nudo; umbella ſupra-decompoſita; ſpicis dichotomiæ ſeſſilibus. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 74.

Fl. Zeil. pag. 40. Program. noſtr. 1772. pag. 25.

Gramen Cyperoides Maderaſpatanum, Juncelli Gesneri capitulis ſparſis. Plukenet. Almag. 179. tab. 119. fig. 3.

Cyperus minor Maderaſpatanus, Juncelli Gesneri capitulis. Moriz. Hiſtor. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 38. N. 30.

Cyperus ſupinus, minimus, ſparſa panicula, e rarioribus locuſtis conferta. Monti Prodr. 13.

Scirpus Maderaſpatanus, ſpicis conoidibus fuſcis. Scheuchz. Agroſtogr. pag. 359.

Cyperus Maderaſpatanus, calamo compreſſo, ſpicis minoribus fuſcis. Scheuchz. Agroſtogr. pag. 395. Tab. IX. fig. 5.

RADICES fibroſæ, ferrugineæ.

CULMI plures, baſi decumbentes, ſetacei, triqvetri, ſupra nudi, ſtriati, hiſpidi, palmæ circiter magnitudine.

FOLIA graminea, linearia, ſtriata, hirſuta, patentia vel reflexa, culmum, cujus inferiorem partem vaginis compreſſis, uncialibus, amplexantur, fere æqvantia.

INVOLUCRUM. Folia (3—6) plura, linearia, inæqvalia, margine aculeata, inæqvalia; *maximis* umbella duplo fere longioribus. INVOLUCRUM PARTIALE ſimile, ſed brevius.

OCHREÆ breviſſimæ, bifurcæ.

UMBELLA ſupra-decompoſita. *Radii* plures; *interiores* breves, ſimplices vel bifidi; *exteriores* longiores (1½ unc.) umbella altera terminati, cujus unus & alter radius umbellam tertiam, radiis ſimplicibus vel bifidis conſtantem, promit.

SPICÆ ſolitariæ, terminales & axillares in centro umbellarum & bifurcatione pedunculorum ſeſſiles; omnes oblongo-ovatæ, acutæ, (3 circiter uncias) longæ, imbricatæ *Sqvamis* hiſpidis, ovatis, concavis, carinatis; carina in ſpinulam mollem rectam producta.

PISTILLUM. *Germen* turbinatum, gibbum, ſtriatum, glabrum. *Stylus* hiſpidus, turris adinſtar germini impoſitus, bifidus. *Stigmata* capillaria, reflexa.

FRUCTUS an capſula?

Color graminis glaucus vel incanus; ſqvamarum teſtaceus vel ferrugineus; carina & acumine pallide viridi; piſtilli brunneus.

Plukenetii icon ſpicas bene, paniculam peſſime exhibet. Scheuchzerus bis hunc deſcripſit.

In Oriente hunc legit Profeſſor Forſkåhl, qvem ſub nomine Montii Anno 1761 Bononiæ dedit optimus Ferdinandus Baſſi.

Tab. XIII. fig. 1. A. Culmi cum radicibus & foliis. B. Culmi nudi. C. Umbella. D. Umbella altera. E. tertia ſubdiviſio.
a. ſpica cum b. ſqvama, & c. piſtillum m. a.

77. SCIRPUS, culmo triqvetro, nudo; involucro ſetaceo; panicula verticillata, ſupra-decompoſita; ſpicis centralibus, ſeſſilibus. Progr. noſtr. 1772. pag. 26.

Scirpus Miliaceus, culmo triqvetro nudo; umbella ſupra-decompoſita; ſpicis intermediis ſeſſilibus; involucro ſetaceo. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 75.

Cyperus minor Maderaſpatenſis, panicula ſparſa e locuſtis rotundis compoſita. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 238. N. 29.

N. L. Buurmanni Fl. Indica pag. 22. tab. 9. fig. 2?

Juncus orientalis panicula ſpecioſa ex Maderaſpatan. Pluken. Almag. botanic. 200. Phytogr. tab. 95. fig. 3?

CULMUS filiformis, ſupra nudus, triqveter, ſtriatus, viridi-flavus.

INVOLUCRUM. Folia pauca (2—4) lineari-ſetacea, amplexicaulia, apice communiter reflexa, verticillis, qvibus breviora, appoſita.

PANICULA tripollicaris, filiformis, ſupra-decompoſita, diffuſa, verticillata. *Verticilli* in noſtris ſpeciminibus tres, infimo remotiore.

PEDUNCULI plurimi, ſimplices ramoſis commixti, triqvetri, margine ſcabri, laxi, divaricati vel reflexi, apicibus ſub angulo patulo biſſecti.

SPICÆ obtuſæ, ovatæ vel globoſæ, minimæ (longitudine 1 lin.) ſolitariæ, in centro verticillorum & diviſionibus pedunculorum ſeſſiles, cæterum pedunculatæ, terminales; imbricatæ *Sqvamis* minimis oblongis vel ſubrotundis, concavis, ferrugineis, cum carina viridi, qvæ obtuſo mucrone, ad baſin ſpicæ longiori, terminatur; cunctis præter 2 infima fertilibus.

STAMINA 3.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, nudum. *Stylus* unicus, bifidus. *Stigmata* ſetacea, flexuoſa.

SEMEN unicum, obovatum, triqvetrum, minimum, ſcabrum.

Synonymon Buurmanni ob ſpicas ejus diſtichas, umbellas ſimpliciores, & folia involucri nimis brevia, etſi a Linnæo receptum eſt, cum formidine adduco.

Königius miſit.

Tab. V. fig. 2. A. Culmus. B. Umbella prima. C. altera. D. Umbellæ ultimæ, binis radiis. E. eædem tribus radiis conſtantes. a. ſpica. b. ſqvama.

78. SCIRPUS, involucro diphyllo; panicula ſupra-decompoſita; ſpicis terminalibus, ſolitariis, lanceolatis, ſubtetraqvetris. Program. noſtr. 1772. pag. 26.

Scirpus autumnalis, culmo ancipiti nudo; umbella decompoſita, folioſa; ſpiculis ovatis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 180?

CULMUS mollis, farctus, tenuis, ſupra nudus.

INVOLUCRUM UNIVERSALE. Folia 2 lanceolato-linearia, inæqvalia; *maximo* alterius, qvod longitudine circiter ipſius umbellæ eſt, facile duplo. INVOLUCRUM PARTIALE. Sqvamæ ovato- vel lanceolato-ſubulatæ, umbellulæ ſubjectæ, pedunculisqve interpoſitæ.

OCHREÆ laxæ, ſemi-pollicares, cum mucrone obtuſo truncatæ.

UMBEL-

UMBELLA ſupra-decompoſita, 3 in noſtris ſpeciminibus diviſa. *Primæ diviſionis* RADII (14—15) plurimi, patentes, inæqvales, a $\frac{1}{2}$ usqve ad 2 vel 3 uncias longi. RADII *ſecundæ diviſionis* prioribus numero fere pares, inæqvales; *maximis* vix unciam longis. RADII *tertiæ diviſionis* pauciores (6), breviſſimi, incraſſati.

SPICÆ terminales, ſolitariæ, lineari-lanceolatæ, breviſſimæ (1 lin.), tenuiſſimæ, viridi-fuſcæ, apice albidæ, imbricatæ *Sqvamis* minimis, oblongis, vel oblongo-linearibus, concavis, truncatis, carinatis.

STAMINA. *Filamenta* intra ſingulam ſqvamam modo 2 numeravi. *Antheræ* longæ, lineares.

PISTILLUM. *Germen* triqvetrum, nudum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3 reflexa.

Pedunculi, pedicilli & ſpicæ ſub-tetraqvetræ.

Color totius graminis viridi-fuſcus.

Dominus Königius hunc miſit.

Tab. XVII. fig. 3. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. Radii. D. Umbella ſecunda. E. Tertia. F. Spicarum ſtellulæ.

a. pedicillus ochreatus, bractea ovata fultus. b. ſqvama a tergo. c. a latere. d. piſtillum; cuncta m. a.

Cap. VI.

SCHOENUS.

Omnes, qvas vidi, hujus Generis plantæ *Spicas* gerunt ſqvamis duplicis indolis imbricatas; *Inferiores* ſcilicet vel *Exteriores* duras, coriaceas, rigidas, breves, inanes ſive ſteriles, non raro ariſta vel ſpinula, apicem ſpicæ verſus decreſcente, inſtructas; *Superiores* vel *Interiores* longiores, membranaceas, molles, fertiles, muticas.

Differt ſic a Cypero & Scirpo noſtrum genus, fere uti a *Briza Uniola*. *Setarum* nullam ad genus conſtituendum rationem habeo; non qvod ea particula, e mente Illuſtriſſimi Halleri, duo genera pulcerrime diſtingvi poſſe negem, ſed qvod notam in ſpeciebus calidarum regionum, qvas tractavi, ſtatim obviam eo minus negligendam putavi, qvo melius menti Illuſtriſſimi Linnæi reſpondet, facitqve, ut ſic ſine transmutatione cum ipſius ſpeciebus meas conferre & jungere poſſim. *Stamina* & *Piſtillum* ſuperiorum ſqvamarum, ut in Scirpo. *Fructus* ſemen unicum, nudum, vel capſula incluſum.

Diſſimulare tamen minime qveo, me tanti meam notam, a ſterilitate & fabrica reliqva ſqvamarum inferiorum ductam, non facere, ut hac de cauſa, ſi penes me ſtaret, Genus Schœni conſervatum cuperem; ſine ullo enim rei Botanices detrimento hoc potius elidi, ſpeciesqve omnes Scirpis vel Cyperis accenſeri poſſe opinor; nec eſt, qvod qvis vereatur, ne, acceſſione ad duo hæc genera adeo locupleti, inveſtigatio ſingulæ ſpeciei multo reddatur intricatior, qvum ſubdiviſione e ſqvamarum differenti indole petita tota hæc levari poſſit difficultas. Noſtrum Genus a Scirpo diſtingvere noluit Dilectiſſimus Præceptor, Venerabilis jam ſenex B. JUSSIÆUS, cujus humanitatem & benevolentiam, qva integro anno, dum Pariſiis ejus familiaritate uti licuit, me amplexus eſt, nunqvam obliviſcar. Adanſonium, Familles des plantes, Tom. II. p. 40. grave Præceptoris judicium confirmaſſe video.

79.* SCHOENUS Cephalotes, culmo folioſo, triqvetro; involucro tetraphyllo, deflexo; capitulo oblongo, terminali. Program. noſtr. 1772. pag. 14.

Scirpus Cephalotes, culmo triqvetro, nudo; capitulo ovato, ſqvarroſo; involucro triphyllo, longo. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 76. excluſo Synonymo Brounii.

CULMUS ſtriatus, triqveter, craſſus, folioſus, pedes 2 & ultra longus.

FOLIA pedalia, lineari-lanceolata, carinata, ſtriata, alterna, remota, margine & carina aculeata.

INVOLUCRUM tetraphyllum, longiſſimum, reflexum, dependens.

CAPITULUM cylindricum, maximum, 2 ad 3 uncias longum, unam circiter latum, ad baſin breviſſime paniculatum.

SPICÆ oblongo-ovatæ, undiqve imbricatæ, craſſiuſculæ, 3 lineas longæ.

CALYX. Sqvamæ *inferiores* coriaceæ, rigidæ, carinatæ, mucronatæ.

COROLLA. Sqvamæ *ſuperiores* plures, lanceolatæ, concavæ, molliuſculæ, muticæ.

STAMINA intra ſingulam ſqvamarum ſuperiorum tria.

PISTILLUM. *Germen* ſubrotundum, exteriori latere gibbum, punctatum, baſi ſetis articulatis, ciliatis, longitudine ſtaminum, cinctum. *Stylus* unicus, calyptræ vel mitræ ad inſtar germini, cujus ad baſin utrinqve ligula membranacea decurrit, impoſitus, ſupra filiformis, in ſpiram flexus. *Stigmata* 2 oblongo-linearia.

PERICARPIUM. Capſula (qvam in monſtroſum, cymbiforme, caſſum exuvium ſæpe inveni transformatum) glabra, ſolitaria, punctata, ſemen unicum includens.

Supremarum ſqvamarum flores maſculi mihi viſi ſunt.

Interdum ſqvamæ ſpicarum in foliola ſtriata, hiſpida, ciliata, reflexa mutantur, ſpicas ſic facientes ſqvarroſas, qvæ multum a nuper deſcriptis recedunt, eisqve, qvas deſcribit Linnæus, niſi qvod ſteriles, exacte ſunt ſimiles; inveni capitula tota his ſolis conſtantia, vidi alia utrisqve mixta. An ergo vivipara hæc planta? An potius inſectis adſcribenda peculiaris hæc metamorphoſis?

E Suriname a Domino Rolandro advectus eſt.

Tab. XX. A. Caput naturali habitu. B. transformatum mutatione ſqvamarum in folia brevia, undulata, reflexa. C. Involucrum tetraphyllum. D. Culmus. E. Folium abruptum, perſiſtente baſi.

a. ſpica provectior. b. junior. c. ſpica degener mutatione ſqvamarum in folia.

1. dd. corollæ inferiores. h. ſetæ. e. germen fœcundum. f. ſqvamarum una, germen degener, caſſum includens.

2. Flos unicus. g. ſqvama. e. germen. k. ſtamina. i. ſtylus circumflexus apice bifidus cum ſtigmatibus.

3. Flos magnitudine auctus e ſqvama exemtus. E. Germen. K. Stamina. L. Setæ. g. Stylus, ut in priori, flexus atqve diviſus.

4. h. Setæ. i. Styli baſis apicem germinis calyptræ inſtar tegens.

5. h. Setæ, germen degener, caſſum cingentes.

80. SCHOENUS Fabri, culmo compreſſo; capitulis ſolitariis, involucro maximo tectis; apicibus exteriorum ſqvamarum longiſſimo folio terminatis. Program. noſtr. 1772. pag. 28. N. 80.

Bobartia ſpicis capitatis, involucro majori folioſo tectis. Brounii Jamaic. 129.

CULMUS altus, flexuoſus, geniculatus, compreſſus, ſtriatus, ſulco profundo ad latus utrumqve exaratus.

FOLIA longiſſima, linearia, carinata, flexuoſa, ſtriata, dependentia, baſin verſus imprimis piloſa, vaginis latere fiſſis internodia tota cingentia.

CAPITULA lateralia & terminalia, maxima, ſolitaria, erecta, obtecta ſqvamis coriaceis, ovatis, acuminatis, concavis, ſtriatis, multicarinatis, erectis, hirſutiſſimis; *extimis* loco acuminis in folia longiſſima dependentia productis.

Totum Receptaculum intus floribus pedicillatis obtectum.

FLOS conſtans *Sqvamis* canaliculatis, lineari-ſubulatis, inæqvalibus, patentiſſimis, non imbricatis, ſed ſupereqvitantibus, & eadem baſi inſiſtentibus.

STAMINA & PISTILLUM mihi non viſa.

Flos & tota ſtructura novum Genus indicare videntur. Sub Schœnis interim retuli, usqve dum fructificatio plene innotuerit. In Jamaica legit Broune; ex Inſula Caribica Sanctæ Crucis miſit b. Nicolaus Faber, cujus memoriæ nemo melius conſulere poteſt, ac Nobiliſſimus atqve erudiciſſimus Dominus de Rohr, defuncti amicus, qvi in ſolo natali plantam rariſſimam adeundi copiam habet.

Tab. XIX. fig. 2. A. Culmus. B. Vaginæ internodia veſtientes in folia productæ. CC. Capitulum terminale cum involucro. D. Sqvamæ exteriores folio lineari longiſſimo terminatæ. E. Interiores acutiſſime mucronatæ. a. Rudimentum floris.

81.* SCHOENUS ſetaceus, culmo triqvetro, foliisqve ſetaceis; ſpicis aggregatis; floribus diandris. Program. noſtr. 1772. pag. 14.

CULMUS ſetaceus, triqveter, debiliſſimus, ſimpliciſſimus, ſpithamæus.

FOLIA alterna, ſetacea, longiſſima præter ſupremum, qvod faſciculo florum terminalium vix longius eſt.

PEDUNCULI axillares, foliis multo breviores, tenuiſſimi; *inferiores* ſolitarii; *ſuperioribus* 3 vel 4 breviſſimis, in faſciculum collectis.

SPICÆ (3—4) aggregatæ, undiqve imbricatæ, teretes, ſubulatæ, tenuiſſimæ, 3 lineas longæ.

CALYX. Sqvamæ inferiores (4—5) ovatæ, carinatæ, ariſta terminatæ.

COROLLA. Amentum ſubulato-convolutum, conſtans *ſqvamis* unifloris, mollibus, muticis, lanceolatis, apice convolutis; inferiore qvolibet omnes ſuperiores includente.

STAMINA 2.

PISTILLUM. *Stylus* unicus, baſi tumidus, apice inflexus, bifidus.

PERICARPIUM. Capſula dentata, ſemen ut in antecedente (79) includens.

In Suriname vulgatiſſimum eſt in pratis udis, argilloſis. Mane & veſperi mala cydonia ſpirant flores, teſtante Rolandro, qvi inde advexit.

Tab. XXI. fig. 2. A. Culmus. B. Folium. C. Pedunculus. D. Faſciculus florum terminalis. E. Idem ſeorſim exhibitus.

1. Spica integra magnitudine multum aucta. a. ſqvamæ calycinæ ariſtatæ. b. corollæ.

2. Piſtillum. c. germen. g. ſtamina. e. ſtylus. f. ſtigmata.

3. c. Pericarpium rugoſum apice d. dentatum.

82.* SCHOENUS, culmo tereti; vaginis lucidis; ſpicis diſtichis, ariſtatis; ſingulis ſimplicibus ſpatha unica cinctis. Program. noſtr. 1772. pag. 12.

Schœnus uſtulatus, culmo tereti, folioſo; ſpicis pedunculatis, pendulis, oblongis, ariſtatis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 178?

CULMI longiſſimi, tenaces, ſicci, tenues, juncei, teretes, glabri, ſtriati, ſubarticulati, flaveſcentes; ſupra ſulco pro ramis excavati.

VAGINÆ cylindricæ, ſtriatæ, lucidæ, fuſcæ, uncia longiores, ad baſin ſubtumidæ; altero latere cancellatæ, oppoſito in folium productæ.

FOLIA alterna, canaliculato-ſetacea, margine aculeata; *infra* remotiſſima, longiſſima, laxa, flexuoſa; *ſupra* ſtricta, approximata, alterna, brevia, florum paniculas ſpicasqve vaginis obvolventia.

PEDUNCULI multiflori, ſemiteretes, flexuoſi, debiles; *inferiores* ſolitarii, tripollicares circiter, remoti; *ſuperiores* binati, approximati, ſenſim breviores, tandemqve nulli.

SPICÆ plures (4—5) alternæ, terminales, congeſtæ, diſtichæ, ferrugineæ vel rufæ, longitudine 1 unciæ, ſingulis ſpatha transverſa, qvæ in ariſtam margine aculeatam, ſeſqvi-longiorem, excurrit, obvolutis atqve diſtinctis.

CALYX. Sqvamæ ſpicæ *inferiores* 6 circiter, coriaceæ, lanceolatæ, concavæ, ariſtatæ; *interioribus* longioribus cum ariſta breviori.

COROLLÆ binæ ſpicam terminantes, univalves, membranaceæ, lanceolato-lineares, concavæ, muticæ.

STAMINA. *Filamenta* 3, membranacea, longitudine corollæ. *Antheræ* lineares, triqvetræ, cuſpidatæ, in hamulum non raro inflexæ.

PISTILLUM. *Germen* lineare, triqvetrum. *Stylus* linearis, hiſpidus, longitudine ſtaminum. *Stigmata* tria, hirſuta, flexuoſa, longiſſima, rufa.

PERICARPIUM. Capſula triqvetra, ſemen unicum includens. Germen corollæ inferioris mihi abortire viſum.

Königius in Promontorio Cap. b. ſpei legit.

Tab. XVIII. fig. 1. A. Culmus. B. Vagina & Folium. C. Pedunculi. a. ſpatha. b. ſpica. c. ſqvama corollæ fertilis. e. altera ſterilis, torta, poſtice viſa. d. flores. e* e* corollæ.

83. SCHOENUS, culmo tereti; ſpicis alternis, ariſtatis; ſingula compoſita ſpiculis plurimis, per totidem bracteas interſtinctis. Program. noſtr. 1772. pag. 12.

Schœnus thermalis, culmo triqvetro, folioſo; capitulis lateralibus, compoſitis, ſubſeſſilibus; foliis enſiformi-carinatis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 179.

CULMUS bipedalis & altior, geniculatus, ſtriatus, glaber, pallide viridis vel glaucus, infra teres, ſupra, latere pedunculos ſpectante, ſulco excavatus.

FOLIA alterna, remota, longiſſima, apicem verſus approximata, magnitudine decreſcentia, lanceolato-linearia, canaliculata, flexuoſa, carina & marginibus ſubaculeata, ad baſin vagina luteſcente, antice cancellata, culmum veſtientia.

PEDUNCULI complanati, alterni, laxi, debiles; *infimi* longiſſimi; *ſummi* breviſſimi & fere nulli.

SPATHÆ plurimæ, ovato-lanceolatæ, concavæ, carinatæ, ariſtatæ; *exteriores* majores ſpicularum faſciculos in ſpicam majuſculam compoſitam colligentes; *interiores* minores, ſpiculas continuo interſtingventes.

SPICÆ compoſitæ, terminales, oblongæ, ferrugineæ, magnitudine minimi fere digiti.

SPICULÆ lineares, tenuiſſimæ, imbricatæ *ſqvamis* lineari-ſubulatis, qvarum 4 *inferiores* ſteriles; *reliqvæ* ſubulatæ, convolutæ, floriferæ, ob tenuitatem a me non evolutæ.

Color ſpicarum teſtaceus vel dilute ferrugineus.

Spicæ in hac ferme triplo majores ac in antecedente; Spiculæ e contrario decuplo minores, magnitudinem qvum ſolummodo faciant ſpathæ ſive bracteæ innumeræ, ſpicularum faſciculos, ipſasqve ſpiculas, continuo interſtingventes; facie itaqve licet priori ſimillimus & qvaſi ejus ſola varietas, tamen optime diſtinctus.

Dominus Königius miſit ex eodem loco.

Tab. XVIII. fig. 2. A. Culmus. B. Vagina folio terminata. C. Pedunculus. D. Capitula ſive ſpicæ.
a. Spatha ſpiculas 3 bbb. involvens. c. ſpicula expanſa.

84. SCHOENUS involucratus, panicula folioſa, nutante; ſpicis congeſtis, ariſtatis, ſubdiſtichis; floſculis gemellis, nectariferis.

CULMUS teretiuſculus, farctus, ſubtiliſſime ſtriatus, ſubgeniculatus.

FOLIA lineari-ſetacea, carinata, ſtriata, longa; vaginis uncialibus, ſtriatis, lucidis, coloratis, culmum ambientia.

PANICULA ſeſqvipedalis, ſecunda, nutans, folioſa, ramoſiſſima. *Rami* alterni, remoti, complanati, filiformes, flaccidi, paniculati, 3 vel 4 e vagina ſinguli folii, qvorum *unicus* maximus, folio duplo longior; *reliqvi* minores, decreſcentes, breviſſime pedunculati, ſubſeſſiles.

FLORES. Spicæ congeſtæ, oblongo-lanceolatæ, compreſſæ, diſtichæ, unciam dimidiam circiter longæ.

CALYX imbricatus *Sqvamis* ſpicæ *inferioribus*, (6—7) coriaceis, ovatis, ariſtatis; ariſtis infimis longiſſimis.

COROLLÆ in apice ſpicæ, binæ, qvarum *ſuperior* bivalvis, *inferior* univalvis, factæ e *Sqvamis* membranaceis, oblongo-lanceolatis, concavis, obtuſis, muticis.

STAMI-

STAMINA. *Filamenta* 3, membranacea, plana, intra utriusqve corollæ ſqvamam.

PISTILLUM. *Germen* ſubtriqvetrum, turbinatum. *Stylus* unicus. *Stigmata* 3, filiformia. Germen inferius marceſcit.

NECTARIUM. *Sqvamæ* 6 ſubcartilagineæ, erectæ, lineares, acutæ, margine ciliatæ, baſi gibbæ, candidiſſimæ, germine paulo longiores, ſtamina & piſtillum involventes.

Culmus & Folia flaveſcentia; ſpicæ ferrugineæ, marginibus ſqvamarum pallidis.

Habitus cum congeneribus perfecte idem, qvare nolui ob unicam ſpeciem genus ſtruere, etſi hoc ſvadere poſſet involucrum ſive nectarium.

Habui e Capite B. Spei hac æſtate per Proto-chirurgum navalem Societatis Indicæ, Dominum Borch.

Confer, ſi placet, cum noſtro ſeqventes Linn. cum ſynonymis:

Cyperus ſpathaceus, culmo vaginis foliorum veſtito, pedunculis pinnatis, lateralibus. Syſtem. Nat. Edit. 12. Tom. II. ADDENDA pag. 735.

Schœnus ſpathaceus, culmo tereti, ſpathis alternis, mucronatis, paniculas involventibus, ſpicis alternis, patentibus. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 63.

Gramen junceum elatius, caule articulato, Virginianum, cyperi paniculis inter folia prope ſummitatem prodeuntibus. Pluken. Almag. 179. tab. 301. fig. 1.

Cyperus alterni-folius, culmo triqvetro nudo, apice alternatim folioſo, pedunculis lateralibus proliferis. Mantiſſ. Linn. pag. 28. & Syſtem. Natur. Tom. II. ADDENDA pag. 734.

Gramen fluviatile geniculatum, panicula foliacea, locuſtis tenuibus oblongis Virginianum. Moriz. Hiſtoria Plant. Part. III. pag. 183. §. 8. tab. 3. fig. 17.

Racemis & Spicis plantæ hæ Plukenetii & Morizoni Scirpo noſtro valde videntur ſimiles, at culmo craſſiore, articulis manifeſtis, tumidis, approximatis, utraqve, qvas poſt maturius examen jam ſeparavit illuſtriſſimus Linnæus, adeo longe recedit, ut ad neutram referre ſuſtineam.

Tab. XIX. fig. 1. A. Culmus. B. Vagina cum foliis.
a. ſpica. b. flores bini. c. germen cum involucro.
d. Involucrum ſive Nectarium m. a. e. Piſtillum m. a.

85. SCHOENUS, ſcapo ſtrictiſſimo, tereti; ſpicis glomeratis; bracteis ſubulatis. Program. noſtr. 1772. pag. 13.

Schœnus compar, culmo tereti, nudo; ſpica compoſita, ſpiculis geminatis. Linn. Mantiſſ. altera pag. 177.

SCAPUS teres, ſtriatus, glaber, enodis, junceus, tenax, viridi-glaucus, tripedalis.

PANICULA terminalis, ſpicata, brevis, oblonga, conglomerata, multiflora.

BRACTEÆ oblongæ, mucrone aculeato, longiſſimo, rigidiſſimo, terminatæ, glomeribus ſpicarum interpoſitæ; *infimæ* acumine paniculam bis ſuperante.

SPICÆ lanceolato-lineares, diſtichæ, longitudine fere $\frac{1}{2}$ unciæ.

CALYX. Sqvamæ *inferiores* 6 circiter, coriaceæ, rigidæ, nitidæ, carinatæ; *infimæ* ovatæ, minores, apice ſpinoſæ; *ſummæ* lanceolatæ, obtuſæ, muticæ.

COROLLÆ 2—3 in apice ſpicæ; *ſumma* bivalvis; *inferiores* univalves, oblongo-lineares, concavæ, membranaceæ, muticæ.

STAMINA. *Filamenta* membranacea, plana, longiſſima, alba, in corolla terminali 3, in cæteris 4. *Antheræ* longæ, triqvetræ, ferrugineæ, cum acumine flavo.

PISTILLUM. *Germen* obovatum, triqvetrum, apice turrigerum. *Stylus* planus, hirtus. *Stigmata* 3, longiſſima, filiformia, hiſpida.

Germina cuncta præter ſummum extenuata abortire videntur.

Cum prioribus a Domino Königio miſſus.

Tab. XVIII. fig. 4. A. Culmus. B. Panicula. C. Involucrum.
a. bractea. b. ſpica ad apicem florens. c. eadem ante floris evolutionem. d. corollæ explicatæ, ſuperior bivalvis, triandra; inferiores univalves, tetrandræ. e. anthera didyma, cuſpidata. f. g. Germina marceſcentia inferiorum florum. h. Germen ſupremi floris fœcundum.

86. SCHOENUS cuſpidatus, culmis teretibus, ſubnudis; panicula tenuiſſima, lineari; bracteis annularibus, obliqvis, breviſſimis, mucrone longiſſimo terminatis. Program. noſtr. 1772. pag. 13.

CULMI ex una radice plures, ſimpliciſſimi, teretes, juncei, enodes, ſtricti, tenaces, erecti, ſeſqvipedales, ſuperius nudi, coloris flaveſcentis.

VAGINÆ ad baſin culmi ſangvineæ vel ferrugineæ, glabræ, cylindricæ, mucronatæ; mucronibus ſenſim in folia convoluto-ſetacea, rigida, 2 fere uncias longa, abeuntibus.

PANICULA terminalis, linearis, tenuiſſima, ſeſqviuncialis. *Rami* faſciculati, ſtricti, inæqvales, breves, ſubdichotomi, ad angulum acutiſſimum erecti.

BRACTEÆ annulares, breves, lucidæ, brunneæ, obliqvæ, altero latere emarginatæ, oppoſito in *mucronem* linearem aculeatum, carinatum productæ, ſingulæ dichotomias paniculæ & florum baſes obvolventes; mucrones qvo inferiores, eo majores; *infimo* panicula duplo fere longiore.

SPICÆ axillares & terminales, tenuiſſimæ, parvæ, 3 lin. longæ, lanceolato-ſubulatæ, ferrugineæ, diſtichæ.

CALYX. Sqvamæ ſpicæ *inferiores* (6) ovato-lanceolatæ, concavæ, rigidæ, margine membranaceæ, albæ.

COROLLA. Sqvamæ *ſuperiores* 2 convoluto-ſubulatæ, floriferæ.

Tab. XVIII. fig. 3. A. Culmorum baſes cum foliis. B. Culmi nudi. C. Panicula. D. Bractearum mucrones.
a. Bracteæ ad diviſionem Paniculæ. b. ſpicæ m. a. c. ſqvama a latere. d. a tergo m a.

87. SCHOE-

87. SCHOENUS faſciatus, culmis foliisqve ſetaceis, longiſſimis; floribus tenuiſſimis ariſtatis. Program. noſtr. 1772. pag. 13.

CULMI plures, ſtricti, filiformes, pedales, ſulcati, ſemiteretes, latere plano canaliculati, flaveſcentes, ad baſin ferruginei vel fuſci, ſqvamis linearibus diſtincti, telaqve cancellata atro-purpurea cincti.

FOLIA ad radicem faſciculata, plurima, convoluto-ſetacea, ſtriata, margine ſubaculeata, longiſſima, flexuoſa. *Caulina* alterna, remota, vagina cylindrica atro-purpurea, nitida, longitudine vix pollicis, faſciæ ad inſtar culmum ambientia.

PEDUNCULI axillares, alterni, filiformes, flexuoſi, marginibus retrorſum ſcabri, ſubtriflori, folio breviores, longitudine apicem verſus decreſcentes; *Inferiores* ſolitarii. *Superiores* bini & terni.

SPICÆ vagina ſpathacea, margine ſerrata, obvolutæ, craſſitie aciculæ, 3 lineas longæ, ſubulatæ, colore vaginarum; imbricatæ *ſqvamis* oblongo-lanceolatis, concavis, ariſtatis, qvarum inferiores qvum ſteriles invenerim, ob hanc cauſam æqve ac habitum cæteroqvin ſimilem ad hoc genus retuli, licet ſuperiores ob tenuitatem evolvere non valuerim.

Hunc cum præcedente e Promontorio Capitis b. ſpei miſit oculatiſſimus noſter Königius.

Tab. XVI. fig. 5. A. Baſes culmorum. B. Culmi. C. Vaginæ cum foliis. D. Pedunculi cum ſpicis.
a. ſpatha ſpicam involvens. b. ſpicæ pars inferior explicata.

88. SCHOENUS polymorphus, culmo ſubnudo, triqvetro; involucro mucronato, diphyllo, inæqvali, ciliato. Program. noſtr. 1772. pag. 13.

Scirpus ferrugineus, culmo triqvetro, ſubnudo, involucris longitudine paniculæ ciliatis. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 74.

Gramen cyperoides majus, ſpicis ex oblongo-rotundis, compactis, ferrugineis. Sloan. Hiſtor. Jamaic. Part. I. pag. 36. tab. 77. fig. 2.

α. Scirpus ſpadiceus, culmo triqvetro, nudo; umbella ſubnuda; ſpicis oblongis, ſeſſilibus terminalibusqve. Linn. Spec. Plant. Part. I. pag. 74?

Gramen cyperoides, majus, aqvaticum; paniculis plurimis, junceis, ſparſis; ſpicis ex oblongo-rotundis, ſpadiceis. Sloan. Hiſtor. Jamaic. Part. I. pag. 118. tab. 76. fig. 2?

β. Schœnus culmo triqvetro, nudo; ſpica cylindrica terminali; involucro diphyllo, inæqvali, brevi.

CULMUS triqveter, bipedalis, ſtriatus, flaveſcens, ſubnudus.

SQVAMÆ coriaceæ, concavæ, fuſco-maculatæ, baſin culmi ambientes; *ſuprema* in folium convoluto-ſetaceum longitudine circiter pollicis producta.

INVOLUCRUM. Sqvamæ ovatæ, concavæ, ferrugineæ, *exterioribus* 2 inæqvalibus, acumine lineari, carinato, ſubaculeato, terminatis.

UMBELLA decompoſita, terminalis cum Spica intermedia ſeſſili. *Pedunculi* pauci (3—4) triqvetri, inæqvales (½ ad 1½ unciæ) ſimplices & paniculati; *Pedicillis* breviſſimis.

SPICÆ ſolitariæ, oblongo-ovatæ, ferrugineæ, magnitudine variæ, ut plurimum Scirpi paluſtris.

CALYX. Sqvamæ ſpicæ *inferiores* (6—7) coriaceæ, ſubrotundæ, concavæ, cum parvo acumine carinatæ.

COROLLA ſqvamæ, ſpicæ *ſuperiores* floriferæ.

STAMINA intra ſingulam ſuperiorum ſqvamarum 3.

PISTILLUM. *Germen* unicum oblongum triqvetrum. *Stylus* unicus, compreſſus, alatus, ciliatus. *Stigmata* 2 lineari-ſetacea.

Numero atqve magnitudine ſpicarum, ut & diviſione atqve proceritate paniculæ, inſigniter variat hic Schœnus. Vidi ſpica ſolitaria terminali cylindrica, uti ſcirpum ſuum mutatum (qvem hic ut ſynonymon ad varietatem β omiſimus, qvoniam ad ſcirpum *ſpiralem* 59, poſt programma editum a nobis primo viſum, majori cum veriſimilitudine pertinere judicavimus) deſcribit Linnæus, hac ſola cum differentia, qvod noſter involucrum diphyllum, foliorum uno ſuperiore, magnitudine ſpicæ, altero ſpicæ ſubjecto, dimidio minore, habeat, cujus non meminit Author illuſtriſſimus. Vidi ſpica gemina, intermedia ſeſſili, cum binis lateralibus breviſſime pedicillatis; vidi alium pedunculis 4 ſubæqvalibus parvis, unifloris, terminatum; alium porro ſpica centrali gemina, & pedunculis 5 vel 6, qvorum nonnulli uniflori, cæteris bi- imo trifloris. Inveni deniqve ſpecimina, umbella ſupra-decompoſita, pedunculisqve biuncialibus, facie & habitu referentibus *Gramen Cyperoides majus aqvaticum &c.* Sloanei, qvod pro diſtincta ſpecie ab Illuſtriſſimo Linn. ſub nomine ſc. *ſpadicei* habetur. Culmi, non minus ac ipſæ ſpicæ jam teneriores, jam craſſiores; ſed in cunctis involucrum ſimile diphyllum, foliolo uno Pedunculorum magnitudine, altero dimidio breviore; ſtructura etiam ſpicularum atqve forma ſqvamarum perfecte eadem. Synonymum ergo, qvod cum dubio eſt allatum, retineat vel deleat, cui bona ſpecimina utriusqve ſpeciei ſimul conferre licet. Tranqvebaria miſit Dominus Königius.

89.* SCHOENUS Surinamenſis, culmo folioſo, triqvetro; pedunculis corymboſis; inferioribus alternis; ſuperioribus in umbellam aggregatis. Progr. noſtr. 1772. pag. 14.

Tſiolap pullu Rheed. Hortus Malab. Tom. XII. pag. 127. tab. 67?

Gramen Cyperoides Indicum panicula ſparſa, majus, ſemine nigerrimo. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 242. No. 7?

Gramen Cyperoides Indianum, foliis varie adumbratis, paniculis Graminis pratenſis minoris noſtratium, ex alis foliorum prodeuntibus. Plukenet. Amaltheum pag. 112.

CULMUS altiſſimus, triqveter, ſcaber, ſtriatus.

VAGINÆ

VAGINÆ ſtriatæ, laxæ, alternæ, uno latere mucrone obtuſo; oppoſito, folio longiſſimo, lineari, carina & margine aculeato, læte viridi, terminatæ.

CORYMBI laterales, compoſiti, pedunculati, patentes, foliis multoties breviores; infra ſolitarii, remoti, ſupra qvaſi in umbellam aggregati.

PEDICILLI ocreati, bractea ſetacea ſuffulti.

SPICÆ terminales, aggregatæ, cylindrico-ſubulatæ, ferrugineæ vel rufæ, longitudine 3 linearum.

CALYX. Sqvamæ *inferiores* ovatæ, undiqve imbricatæ, inanes.

COROLLA. Sqvamæ *ſuperiores* 2, floriferæ, qvarum *inferior* hermaphrodita, *ſuperior* maſcula.

PISTILLUM. *Germen* ovatum, ſetis articulatis ad apicem & baſin cinctum. *Stylus* unicus, pyramidalis, longiſſimus, apice ſetaceus. *Stigma* oblongo-lineare, acutum.

PERICARPIUM. Capſula dentata, ſemen unicum, ſubrotundum, nigrum, includens.

Facies Schœni Mariſci. In Suriname collegit Dominus Rolander.

Tab. XXI. fig. 1. A Culmus. A* Vagina, cujus e ſinu exit pedunculus ſolitarius, altero latere mucrone, oppoſito, folio terminata. B. Umbella terminalis cum involucro. C. Pedicilli ad baſin ocreati. D. Sqvamæ ſetaceæ his ſubjectæ.

1. Flos integer a. Calyx.
2. Corolla gemina, b. ſqvama inferior continens ſtamina 3 f. piſtillum e, ſetas g. vix videndas. c. ſqvama ſuperior, intra qvam ſtamina 3 d.
3. Partes fructificationis inferioris floris m. a. F. Stamina. G. Setæ ad articulos ciliatæ. H. Germen. I. Stylus.
4. Flos uterqve k, inferioris hermaphroditi ſtamina ſqvamæ incluſa latent; ſuperioris maſculini filamenta 3, antheris ad baſin abruptis, ſqvamam involventem ſupereminent.
5. Flos maſculinus. c. ſqvama. d. ſtamina.
6. Semen l. pericarpii hæmiſphærio inferiori incluſum, ſqvamæ ſuæ inſidens.

Cap. VII.

FUIRENA.

CHARACTER GENERIS.

SPICA oblongo-ovata, undiqve ſqvamis tricarinatis, ariſtatis, imbricata.

FLOS intra ſqvamam ſingulam ſolitarius, minimus, tuberculo inſiſtens.

CALYX præter ſqvamas diſtingventes nullus.

COROLLA. Petala 3 obcordata, minima, tricarinata, membranacea, cirro vel filo terminata.

STAMINA. Filamenta 3 linearia, membranacea, tuberculo extra corollam, qva multo longiora, affixa. Antheræ, lineares, erectæ.

PISTILLUM. Germen acute triqvetrum, corollam totam explens. Stylus unicus, apice bifidus.

90. FUIRENA umbellata, culmo angulato; foliis lanceolatis, ſtriatis, remotis; floribus umbellatis. Program. noſtr. 1772. pag. 27. No. 78.

Scirpus tripetalos. Rol. Manuſcr.

Beera-kaida Hort. Malab. Tom. XII. Tab. 58. pag. 109? vix.

Gramen Cyperoides Indiæ orientalis latiore folio, ſtriato, ſummo caule paniculis paleaceis. Pluken. Amalth. 112?

Cyperus longus Indianus, ſpiculis brevibus tumentibus, ſeminibus rotundis ſpadiceis. Moriz. Hiſt. Plant. Part. III. §. VIII. pag. 237. No. 20?

CULMUS altus, angulatus, ſimplex, ſtriatus.

FOLIA alterna, lanceolata, profunde ſtriata, glauca, in ſupremo caule, longitudine internodiorum, vaginis laxis, urceolatis, piloſis, brevibus, culmum ambientia.

MEMBRANA oris ciliata, ferruginea.

PEDUNCULI plures (2—3) axillares, apice umbellati, teretes, hirſutiſſimi, folio multo breviores.

SPICÆ oblongæ, teretes, breves (3 fere lin.) conglomeratæ, nigricantes, imbricatæ ſqvamis obovatis, concavis, rigidis, carinis ternis apice in ariſtam confluentibus.

Facies Scirpi. Dominus Rolander in Suriname detexit.

Tab. XVIIII. fig. 3. A. Culmus. B. Folia, qvorum e vaginis tumidis exeunt pedunculi. C. Umbella terminalis. D. Spicarum glomeres.

a. Spica. b. Sqvama. c. Flos connivens. d. expanſus, ubi partium fructificationis ſtructura & ſitus ſimul apparet.

EMENDANDA & ADDENDA.

Proœm. Pag. 1 lin. 19 oppoſitum, l. oppoſitam.
2 — 35 a poſterioribus, l. e poſterioribus.
3 — 6 deturpent, l. deturpant.
- — 7 incurio, l. incurioſo.
- — 17 adnmbratæ, l. adumbratæ.
- — 35 arbuſculum, l. arbuſculam.
4 — 15 ſymbolum aliqvod, l. ſymbolam aliqvam.
- — 22 excuſerunt, l. excuderunt.

* * *


Pag. 1 lin. 16 qvæ, qvum, l. qvæ qvum.
2 — 10 cui, l. qva.
- — 16 corolla æqvales, l. corollæ æqvales.
3 — ult. cui, l. qva.
4 — ult. cui, l. qva.
5 — 34 corolla æqvales, l. corollæ æqvales.
7 — 14 cubitibus, l. cubitis.
- — 32 pollices, l. pollicem.
8 — 22 Tab. III. fig. 1, l. Tab. III. fig. 4.
- — 24 poſt petala adde e. Piſtillum.
- — 34 cui, l. qva.
12 — 8 & paſſim ubi occurrit, ochreæ, l. ocreæ.
- — 17 genus, qvum, l. genus qvum.
13 — ad finem deſcriptionis K. Monocephalæ adde Tab. IV. fig. 4. A. Culmi. B. Capitula. a. flos m. n. b. idem m. a. c. piſtillum.
14 — 3 PASTILLUM, l. PISTILLUM. Deſcriptioni K. brevifoliæ adde Tab. IV. fig. 3. A. Culmus vagina folii cinctus. B. Capitulum. a. flos m. a. b. piſtillum m. a.
K. Tricipiti adde Tab. IV. fig. 6. Capitula terna cum involucro. a. flos naturali. b. aucta magnitudine, c. germen adultum, d. piſtillum.
- — 28 FLORES, l. FLORES.
- — 30 glumen, l. gluma.
- — 32 apice, reflexa, l. apice reflexa.
15 — Deſcriptioni K. paniceæ adde Tab. IV. fig. 1. A. Culmus. B. Umbella cum involucro. C. ſpicæ. a. flos n. m. b. corolla m. a. c. piſtillum.
16 1 (5) l. 15.
lin. ultima hunc, l. hanc.
adde Tab. IV. fig. 2. A. Culmus, B. Umbella cum involucro, C. Radii, D. ſpicæ cum involucris. a. flos m. n. b. m. a. c. piſtillum m. a.

U 2 Pag.

Pag. 17 lin. 22 periclitarer, l. periclitarer.
— — 27 partium, ut, l. partium ut.
18 — 25 duobus, l. duabus.
19 — 11 qvatruplo, l. qvadruplo.
20 — 12 cui, l. qva.
22 — 5 a fine membraneceis, l. membranaceis.
— — 33 UNICOLARUM, l. UNIOLARUM.
26 — 5 magine, l. margine.
— — 9 cum involucris adde D.
— — 21 ſnbſimplex, l. ſubſimplex.
— — 27 Roſette in Ægyptia, l. Roſettæ in Ægypto.
29 — 35 Thraſi-Italorum, l. Thraſi Italorum.
— — 21 varieta, l. varietas.
33 — 35 ullo vitio, l. ulli vitio.
34 — 12 tuncatæ, l. truncatæ.
35 — 14 Pedicelli, l. Pedicilli.
39 — 18 ſlaveſcens, l. flaveſcens.
41 — 18 rachides, l. raches.
48 — 25 ſoli nititur, l. ſoli innititur.
— — 28 reſpondit, l. reſpondet.
49 — 12 qvatruplo, l. qvadruplo.
— — 36 rachides, l. raches.
51 — 3 a fine RTAMINA, l. STAMINA.
54 — 12 infimis duobus, l. infimis duabus.
55 — 15 ſnbtumidæ, l. ſubtumidæ.
57 — 18 poſt aculeata, dele inæqvalia.
58 — 19 infima, l. infimas.
— — 5 a fine INVOLUCRUMI, l. INVOLUCRUM.
61 — 22 transformatum, l. transformatam.
— — 35 poſt includens adde g flos hermaphroditus, cujus filamenta antheris mutilata apparent.
63 — 36 e' e' corollæ, l. e e' corollæ, qvarum e' ſterilis, adde f ſtamina & piſtillum floris fertilis m, a, g. Piſtillum ſterile.
64 — 18 hac, l. hoc.


Ad Tabulas Iconum OBSERVANDA.

In Tabula II. litteras majuſculas omiſſas facile ſupplet L. B.
— — III. ad fig. 2 littera C omiſſa culmo adſcribatur.
— — VIII. fig. 3 littera C ad mucronem omiſſa.


Tab. I.
D
E
C
C
A
B
1
a b
c
d d
c c
d
e
a b c
d
e
d
C
A
B
2
M. Haas

Tab. II.





Tab. III.
Mono Haas fc.


a b c d
5
a b c d
6
D
C
B
C
B
B
B
a b c
a b c
a b
a b c
A
A
A
A
1
2
3
4
M Haas.


Tab. V.
a b c
D
D
D
C
B
a b c
D
E
D
C
E
B
a b
A
B
C
a b c
B
A
1
2
3
3²
4
A
A
A
B
A
d
G. Haas. sc.

Tab. VI.




a
b
E
D
B
C
1
A
2
A
C
D
B
3
A
4
B
C
D
E
c
a
C. Haas. ſc.

Tab. VIII.





C
C
B
C
B
C
B
C
B
a
b
a
b
a
a
A
A
A
A
1
2
3
4
M.Haas.

Tab. X.




C
a b c d e
B
1
A
a b
D
C
E
F
B
A
2
D
B C
a b c d e
A
3
C. Haas sc.

Tab. XII.



G. Haas. sc.


E
a b
D
C
D
B
C
E
D
C
B
C
a
B
a b c
B
4
A
1
A
A
2
3
A
Haar ſc.

Tab. XIV.




Tab XV.
1
2
3
4
5
6
7
A
B
C
D
a
b
c
d

Tab. XVI




Tab. XVII.
1 A
2
3
4
5 A
6 A

Tab. XVIII



Tab. XVIIII



Tab: XX.



Tab: XXI.

